DE

CATALOGIS HEUREMATUM

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

MARTINUS KREMMER

TRANQUEBARIENSIS

LIPSIAE

MDCCCXC

CURTIO WACHSMUTH

SACRUM

Fragmenta eorum quos Graeci περὶ εὑρημάτων scripserunt librorum postquam olim Ionsius [1]) et Fabricius [2]), nostra aetate Muellerus [3]) conquirere coeperunt, Christophorus Brusskern [4]) et Paulus Eichholtz [5]) peculiaribus dissertationibus de hoc litterarum genere disputauerunt. Concedo eos omnes [6]) reliquias congessisse, quascumque libris περὶ

---

1) *De scriptor. historiae philosophicae.* ed. Dorn. 1716. p. 77.

2) *Biblioth. Gr.* ed. Harles. II (1791) p. 150 n.; III (1793) p. 449. Etiam Vossius *de histor. Graec.* (ed. Westermann. 1838) plerasque librorum π. εὑρ. scriptorum reliquias indicauit. Cf. praeterea Lobeckium *Aglaopham.* p. 168.

3) FHG I p. 275 sq.; II p. 181, 369; III p. 32 sq.; IV p. 489 sqq., 692.

4) *De rerum inuentarum scriptoribus Graecis.* Bonn. 1864. p. 1—23. Unum fragmentum a Brusskernio omissum, quamuis Fabricius l. l. III p. 449 locum iam laudauisset, Eichholtzius p. 29 exhibuit.

5) *De scriptoribus* περὶ εὑρημάτων. Halis. 1867. p. 24—39. Eichholtzius cum Brusskernii dissertationem ignorasset, eadem fere iterauit.

6) Attamen non nulla in his dissertationibus emendanda sunt. Ante omnia e Brusskerniano heurematographorum recensu relegandus est, quem postremo loco p. 22 producit, „titulus Constantinianus τίς τί ἐξεῦρε“. His enim uerbis, quae in fine libri XXXIX *Historiarum* Polybii leguntur, nihil

εὑρημάτων compositis diserta testimonia tribuunt, tamen exstant apud recentiores Graecos Romanosque scriptores et in anecdotorum farragine non pauci catalogi εὑρημάτων, qui ad quaestionem de studiis ueterum heurematicis disceptandam quin adhibeantur fieri non potest. Hos uero catalogos Brusskernius (p. 23—30) et Eichholtzius (p. 4—24) neque cunctos conlegerunt neque satis accurate excusserunt. Denuo igitur id munus suscipiendum ratus hoc potissimum mihi proposui, ut in argumentum et originem catalogorum inquirerem et, num qua fontium necessitudine inter se coniungerentur, perspicerem; atque spero me in tractandis catalogis etiam de ratione heurematographorum nonnulla prolaturum esse, quibus quae Brusskernius (p. 31—42) de hac re adnotauit apte suppleantur.

Priusquam autem ad opus propositum accingamur, quaeramus, quibusnam indiciis ea cognoscantur, quae praeter pauca illa fragmenta expressis uerbis notata libris π. εὑρ. adscribenda sint. Nequaquam enim unumquemque locum, quo res inuentae narrantur, ad heurematicum fontem reuocare licet, cum eiusmodi materiem in plurimis dissimillimi argumenti libris siue sparsim et fortuito siue fusius et data opera tractatam esse et fuisse cernamus.

Ac primum quidem monendum est omnes fere poetas [1]) et prosae orationis scriptores hic illic occasione oblata

---

significari nisi indicem, quo omnium rerum in toto Polybii opere maxime notatu dignarum conspectus exhiberetur, docuit Nissenius *Mus. Rhen.* XXVI 1871. p. 278 sq.; cf. Wachsmuthium *Stud. zu d. gr. Florileg.* 1882. p. 47 adn., qui „περὶ τοῦ ⟨ποῦ⟩ τις τί ἐξεῦρε scribi iubet. In eundem autem errorem atque Brusskernius etiam Schneiderus incidit *Callimach.* II 1873. p. 44 adn.

1) Homerum tamen excipias, nullo enim eorum locorum, quos Eichholtzius p. 1 protulit: *E* 735; *I* 390; *Ξ* 178; *η* 110; *υ* 72; *ζ* 233; *ψ* 159, neque alibi aut inuentionis aut inuentoris ullius mentio fit.

inuentores laudare. Quin catalogos etiam inuentorum poetae composuerunt nonnunquam enumerantes, quae uniuscuiusque populi oppidiue propria essent atque quae inde prouenirent. Cuiusmodi exempla compluria ex Antiphane, Hermippo, Pindaro, Critia petita Athenaeus I p. 27 sq. congessit, ex quibus hos Critiae versus apponam: „*Φοίνικες δ' εὗρον γράμματα ἀλεξίλογα. Θήβη δ' ἁρματόεντα δίφρον συνεπήξατο πρώτη· φορτηγοὺς δ' ἀκάτους Κᾶρες ἁλὸς ταμίαι. τὸν δὲ τροχὸν γαίας τε καμίνου τ' ἔκγονον εὗρε, κλεινότατον κέραμον, χρήσιμον οἰκονόμον, ἡ τὸ καλὸν Μαραθῶνι καταστήσασα τρόπαιον.*“

Deinde quicumque peculiares de singulis disciplinarum artiumque generibus commentarios conscripserunt, de heurematis sui argumenti disputauerunt, si inde a primordiis quidem res persequebantur. Nam, ut testimonia proferam, Aristoxeni librorum qui erant *περὶ τραγικῆς ὀρχήσεως* et *περὶ μουσικῆς* (FHG II p. 269 sqq.) et Iubae *θεατρικῆς ἱστορίας* (l. l. III p. 465 sqq.) fragmenta inuentorum plena sunt; ex *μουσικῆς ἱστορίας* libris Dionysii Hal., qui primo semper loco huc animum attendit, quid quisque inuenisset, plurima heuremata ad historiam poetarum et musicorum pertinentia usque in Suidae lexicon manauerunt [1]). Porro Procli *χρηστομαθίᾳ* notum est contineri 1) genera litterarum, 2) i n u e n t o r e s, 3) canones qui dicuntur classicorum, atque qui Plutarchi *περὶ μουσικῆς* uel Philostrati *γυμναστικός* qui inscribitur libellum percurrerit, largam huius materiae copiam deprehendet.

Prae ceteris autem duae singulares scriptorum classes historiae inuentorum studuerunt, ut in usum conuerterent. Primum ii p h i l o s o p h i, qui *π ρ ο τ ρ ε π τ ι κ ο ύ ς* [2]) com-

1) Cf. Wachsmuthium *Symb. philol. Bonn.* 1864. p. 145 sqq.

2) Cf. Hartlichium *Stud. Lips.* uol. XI 1889. inprimis p. 284 sqq.

posuerunt, certis capitibus multas uariasque res inuentas enarrauerunt. Maxime Posidonium in *Protreptico* heurematographum exstitisse e Senecae epist. 90 discimus (cf. Cic. Tusc. I 25, 62; V 2, 5). Nam ut demonstraret philosophiam esse artium inuentricem, cui, quibuscumque in cotidiano uita utitur, homines deberent, non paruum numerum rerum inuentarum protulit, uelut tecta moliri, ferramenta fabrilia, malleum, forfices, artem textrinam, aratrum aliaque, quae a sapientibus esse excogitata contendit. Et inuentores quoque ipsos in eius *Protr.* nominatim fuisse laudatos paucis certe exemplis probatur: Daedalum enim serram, Anacharsidem rotam figularem, Democritum fornicem primos fecisse Seneca (ep. 90, 14. 31. 32) teste Posidonius narrauit. Itemque iam Aristotelem in *Protr.* omnes artes disciplinasque e philosophia deduxisse demonstrant Iamblichus [1]) et Proclus [2]). Ergo cum Aristotelem et Posidonium habeamus testes, non sine probabilitate conligere nobis uidemur talem π. εὑρ. enarrationem sollemnem *Exhortationum* τόπον fuisse. Quanquam concedo non nisi paucis locis Posidoniani *Protreptici* auctores nominari rerum inuentarum; sed excerpta tenemus, non integros libros.

Simili causa adducti ii theologi, quos Euhemeristas uocare solemus, idem argumentum tractauerunt. Namque cum ex humano genere eos, qui uel uirtute hominibus profuissent uel inuentis humanam uitam excoluissent [3]), in ordinem deorum translatos esse docerent, etiam inuenta horum deorum quam plurima referrent necesse erat. Et re uera inter ipsius Euhemeri reliquias non pauca de-

---

1) *Comment. Pythag.* III: Villoison. *Anecd. Graec.* 1781. II p. 218, 27 sqq.

2) *Comm. in Euclid.* p. 29, 1—12 Friedl.

3) Euhem. ap. Lactant. *de ira dei* 11 p. 190 Bipont.

prendimus heuremata: fr. 6 [1]) Uranus primus deos sacrificiis coluit; fr. 14 Iuppiter primus homines ne carne humana uescerentur prohibuit; fr. 32 Venus prima artem meretriciam instituit; fr. 39 eadem astrologiam; fr. 46 Ceres frumenta inuenit; alia. In integra narratione Euhemeristica, quam Ciceroni de deor. nat. III 53—60 debemus, haec recensentur: Minerua Tertia fuit inuentrix belli; Quarta quadrigarum; Mercurius Quintus Aegyptiis leges litterasque tradidit; Aesculapius Primus specillum inuenit et uolnera obligare docuit; Tertius purgationem alui dentisque euolsionem; Apollo Quartus Arcadibus leges dedit. Plura etiam eius modi exempla Diodorus in eis *Bibliothecae* partibus praebet, quas ab Euhemeristis mutuatus est. Nec uero ad deos solos rerum inuentarum honorem detulisse uidentur Euhemeristae, sed etiam ad homines quosdam praestantissimos; narrat enim Lactantius diu. inst. I 11 p. 39 Bipont.: ad Iouem uenisse, quicumque aliquid noui excogitauissent, quod ad uitam humanam utile esset, ut regi ostenderent [2]).

Summopere igitur cauendum est, ne heuremata quaecumque legimus heurematographorum libris deberi coniciamus, et obseruandum singula quaecumque narrationi alicui intexuntur e quouis alio fonte posse hausta esse. Itaque eos tantum locos uindicare nobis licet, quibus complurIa inuenta in indicis formam redacta enumerentur. Deinde uero, si circumspectius agemus, in heurematographicae doctrinae reliquiis eos demum locos ponemus, quibus diuersae atque inter se dissimiles res uariis inuentoribus — populis,

---

1) Ed. Geyza Némethy. 1889.

2) Heurematographos sicut ex aliorum scriptorum, ita ex Euhemeristarum quoque libris hausisse Plinii catalogo demonstratur: n. h. VII 191 „Ceres frumenta (inuenit), ... ob id dea iudicata"; l. l. 197 „auri metalla . . . . . Aeacus in Panchaia" (cf. Némethyum. l. l. p. 12 et 33).

hominibus, deis — adscribantur. Nam ei loci, quibus compluria unius atque eiusdem argumenti heuremata exhibentur, etiam e commentariis deriuati esse possunt, qui de singulis artibus disciplinisue conscripti erant. Et hoc quidem mihi uerisimilius uidetur, quoniam in eiusmodi commentariis, quippe quibus una materia tractaretur, de originibus et inuentoribus singularum rerum multo fusius ac diligentius disputari poterat quam in libris *π. εὑρ.*, quibus totius hominum populorumque uitae primordia describerentur [1]). Quam coniecturam etiam propius ad ueritatem adducere licet.

Fragmentis enim Iubae *θεατρικῆς ἱστορίας* non pauca singularium inuentorum continentur, quae in catalogis Plinii (n. h. VII 204), Clementis (strom. I 16: §§ 11 sq.; 25 sq.; 32—41; 46 sq.), Anonymi (Cramer. An. Ox. IV p. 400, 16—20) desiderantur, quanquam de hoc quidem argumento — artem musicam dico — et ipsis in his catalogis copiose agitur. Deinde nonne longe plures de litterarum inuentoribus sententias recensuit Lucius Tarrh. in libro *περὶ γραμμάτων* composito (Bekker. AG p. 781 sqq.), quam in uniuersis *εὑρημάτων* indicibus reperiuntur? Tum si, quaecumque in cunctis inuentorum catalogis de artis poeticae auctoribus traduntur, cum eis comparaueris, quae apud Suidam [2]) de eadem materia referuntur, catalogorum messem esse minimam cognosces.

---

1) Propter argumentum libri *π. εὑρ.* non inepte comparantur cum illis operibus, quibus uiri docti nostrae aetatis de gentium uita, cultu, moribus agere solent.

2) Neque enim adsentior Daubio (*Annal. philol.* suppl. XI. 1880. p. 481) Dionysium Hal. (cf. supra p. 3) e libris *π. εὑρ.* hausisse contendenti; quonam fuisse ambitu libros *π. εὑρ.* dicemus, si uniuersa omnium peculiarium materiarum heuremata eis comprehensa fuisse putabimus? At meum non est sententias eorum examinare, qui hic illic fontem heure-

Itaque ut exempla proponam, armorum inuentorum catalogum, qui apud Seru. ad Verg. Aen. IX 503 legitur[1]), ad commentarium aliquem de armis uel de re militari compositum referre unicuique licet, et ea, quae Schol. Pind. pyth. V 6 de rei uehicularis quibusdam inuentoribus narrantur[2]), ad librum nescio quem de re uehiculari conscriptum, quanquam hos locos etiam e libro heurematico manare potuisse nullus nego[3]).

Caput primum.

Iamuero de *εὑρημάτων* catalogis disputemus. Ac primum quidem eos comprehendamus, qui apud Christianos scriptores reperiuntur, quoniam et consilii et originis similitudine eos contineri intellegemus. Exhibent autem ex

---

maticum adhibitum coniecerunt. — Inuenta Suidiana ad artem poeticam pertinentia congessit Volkmannus *De Suidae biographicis quaest. sel.* 1861. p. 1—23.

1) „Inuentor autem testudinis Artemon Clazomenius fertur, idemque arietis repertor dicitur. scuta aerea (*sic corr. F. Schoellius pro* stauera) gestare Curetes primi inuenerunt. galea Thracicum tegmen est. thoraces Thorax quidam rex dicitur inuenisse. Lycaon Arcas gladium longiore lamina produxisse narratur. Peleus primus machaeram dicitur inuenisse. harpen, id est curuum gladium in modum falcis, a Perseo inuentum multi dixerunt.“

2) „*Κέλητα καὶ χαλινὸν πρῶτος Βελλεροφόντης κατέζευξε, ξυνωρίδα Κάστωρ, ἅρμα Ἐριχθόνιος ὁ Ἀθηναῖος, ἀστράβην Ὀξύλος ὁ Αἰτωλός.*“

3) Eandem ob causam in tractandis Christianorum catalogis Athenagorae (supplic. 17 p. 74 sqq. Otto.) paruum indicem praetermisi, quo picturae et statuariae sex inuentores recensentur; mihi enim dubium non est, quin Athenagoras

Christianis catalogos Tatianus Assyrius, Clemens Alexandrinus, Gregorius Nazianzenus, deinde Eusebius Caesariensis, Theodoretus Cyrensis, Theodorus Prodromus.

Quorum antiquissimus T a t i a n u s ipsis ab heurematis exordium orationis *πρὸς Ἕλληνας* conscriptae sumpsit. Verba sunt haec[1]):

„*Μὴ πάνυ φιλέχθρως διατίθεσθε πρὸς τοὺς βαρβάρους, ἄνδρες Ἕλληνες, μηδὲ φθονήσητε τοῖς τούτων δόγμασιν. ποῖον γὰρ ἐπιτήδευμα παρ' ὑμῖν τὴν σύστασιν οὐκ ἀπὸ βαρβάρων ἐκτήσατο;* 1 *Τελμησσέων μὲν γὰρ οἱ δοκιμώτατοι τὴν δι' ὀνείρων ἐξεῦρον μαντικήν,* 2 *Κᾶρες τὴν διὰ τῶν ἄστρων πρόγνωσιν,* 3 *⟨τὴν διὰ τῆς⟩ πτήσεως ὀρνίθων Φρύγες καὶ Ἰσαύρων οἱ παλαίτατοι,* 4 *Κύπριοι θυτικήν,* 5 *ἀστρονομεῖν Βαβυλώνιοι,* 6 *μαγεύειν Πέρσαι,* 7 *γεωμετρεῖν Αἰγύπτιοι,* 8 *τὴν διὰ γραμμάτων παιδείαν Φοίνικες. ὅθεν παύσασθε τὰς μιμήσεις εὑρέσεις ἀποκαλοῦντες.* 9 *ποίησιν μὲν γὰρ ἀσκεῖν καὶ ᾄδειν Ὀρφεὺς ὑμᾶς ἐδίδαξεν,* 10 *ὁ δὲ αὐτὸς καὶ μυεῖσθαι·* 11 *Τουσκανοὶ πλάττειν,* 12 *ἱστορίας συντάττειν αἱ παρ' Αἰγυπτίοις τῶν χρόνων ἀναγραφαί.* 13 *Μαρσύου δὲ καὶ Ὀλύμπου τὴν αὐλητικὴν ἀπηνέγκασθε· Φρύγες δὲ ἀμφότεροι·* 14 *τὴν διὰ σύριγγος ἁρμονίαν ἄγροικοι συνεστήσαντο.* 15 *Τυρρηνοὶ σάλπιγγα,* 16 *χαλκεύειν Κύκλωπες,* 17 *καὶ ἐπιστολὰς συντάσσειν ἡ Περσῶν ποτε ἡγησαμένη γυνή, καθά φησιν Ἑλλάνικος· Ἄτοσσα δὲ ὄνομα αὐτῇ. καταβάλλετε τοιγαροῦν τοῦτον τὸν τῦφον κτλ.*“

Catalogum certo consilio Graecis infesto compositum

---

enchiridium quoddam de his artibus compositum consuluerit, praesertim cum in eodem conexu copiosius de uetustissimis artificibus disserat. Cf. Foersterum *Ueber d. ältesten Herabilder*. Prgr. Vratisl. 1868 et Kalkmannum *Mus. Rhen.* XLII 1887. p. 522 sq.

1) Usus sum editionibus Ioannis C. Th. Otto (1851) et Eduardi Schwartz (1888).

esse apparet, itaque primum cauendum esse uidetur, ne ei nimium credamus, praesertim cum Kalkmannus[1]) nuper omnem fere fidem Tatiano denegauerit. Eis enim, quae Tatianus capp. 33—35 de operibus artificiisque tradidit, sagacissime acerrimeque examinatis eum consulto commenticia prodidisse coniecit. Singula igitur diligenter excutiamus simulque id spectemus, num quid de origine catalogi cognoscamus.

Commentario autem Tatiani narrationem instruens, quae catalogis ceterorum Christianorum praebentur, testimonia praeteribo, cum de ratione, quae inter fontes eorum intercedat, peculiarem infra instituere quaestionem in animo sit. Nec dubito, quin me heuremata e libris ueterum conligentem non nulla effugerint, sed cum incultum fere agellum arauerim, uiros doctos benigne de periculis meis iudicaturos esse spero atque rogo. Verumtamen id non egi, ut omnes, quibus idem εὕρ. traditur, locos cumularem, immo id mihi proposui, ut experirer, num quae narrantur aliis litterarum testimoniis siue uetustioribus siue iis, quae ex alio fonte manauerunt, confirmarentur atque illustrarentur.

§ 1. Idem testatur Nonn. Abb.[2]) I 71 p. 1021 Mign. Praeterea saepius narratur Telmessenses ostentis prodigiisque interpretandis atque omnibus, quae ad diuinationem spectant, rebus studuisse: Herod. I 78 et 84; Cic. diu. I 41 sq.; Plin. n. h. XXX 6; Arr. anab. II 3, 3; Phot. lex. s. *Τελμ.*; — Tertull. de anim. 46 „T. nulla somnia euacuant, imbecillitatem coniectationis incusant.“ —

§ 2. Hoc εὕρ. ipsum apud alios scriptores non legi,

---

1) *Mus. Rhen.* XLII. 1887. p. 489 sqq.

2) De auctoritate nominis Nonni disputauit Patzigius *Prgr. Thomanae* Lips. 1890. p. 24 sqq.: cf. infra p. 44 adn. 2.

tamen notos fuisse diuinandi studio Cares docent Cic. diu. I 42, 94 et Plin. n. h. VII 203. —

§ 3. Locus corruptus est, nam „πτήσεις ὀρνίθων" non inuenerunt homines, correxit Wachsmuthius. — Testimonia: a) Isid. orig. VIII 9, 32; Suid. s. οἰώνισμα; addas Dio. Chrys. 34 p. 34R p. 24,1D; Cic. diu. I 41, 92; I 42, 94; de leg. II 13, 33.

b) His Ciceronis, quos adnotaui, locis simul Isaurorum nomen confirmatur. Namque etiamsi hanc nationem a Graecis Romanisque parum cognitam auguria incohasse praeterea non scriptum uidi, nullus dubito, quin Tatianus eam suo iure commemorauerit, quandoquidem Isauri inter Pisidas, Lycaones, Cilices habitauerunt, quae gentes Cicerone teste augurandi arte floruerunt. —

§ 4. In hoc conexu dubitari nequit, quin θυτική intellegenda sit aruspicina diuinatio, quae a Schol. rec. Aesch. Prom. 496 sq. θυτικὴ μαντεία, a Cosma p. 619 M θυτικὴ πρόγνωσις significatur. Test.: Paus. VI 2, 5 „μαντικὴ ἡ μὲν ἐρίφων καὶ ἀρνῶν τε καὶ μόσχων ἐκ παλαιοῦ δήλη καθεστῶσά ἐστιν ἀνθρώποις, Κύπριοι δὲ καὶ ὑσὶν ἐπεξευρόντες εἰσὶ μαντεύεσθαι"; Athen. IV p. 174ᵃ 'Cyprii coluerunt Iouem Εἰλαπιναστήν τε καὶ Σπλαγχνοτόμον.' —

§ 5. Suid. s. ἀστρονομία, cf. Cic. de diu. I 42, 93 et Ps.-Luc. de astrol. 9. Belo, Ioui Babylonio, inuentionem adscribit Plin. n. h. VI 121, cf. Diod. II 9, 4. Instrumenta quaedam astronomica ab eis deducit Herod. II 109, 3. —

§ 6. Plin. n. h. XXX 3; Suid. s. μαγική et γοητεία; Cramer. An. Ox. IV p. 220, 12 'Perseus, Iouis Pici filius, Persas a suo nomine uocatos τὴν μαγείαν docuit'. Iam Herodotus Magos, quos inter Medicas gentes numerat I 101, Persarum uates, prodigiorum interpretes, sacerdotes inducit: I 107; II 19 saepiusque. —

§ 7. Tritissimum hoc εὑρ. confirmant Herod. II 109;

Plat. Phaedr. p. 274c; Diod. I 69, 5; Procl. in Euclid. p. 64 sq. Friedl.; al. —

§ 8. Sufficiat e nube testium proferre uetustissimum: Herod. V 58; addam Schol. Hom. ϑ 163, ubi ratio quaedam inuenti exposita est. —

§ 9. 10. Simili modo haec duo Orphei heuremata coniuncta leguntur ap. Damagetam in Anth. Pal. VII 9, 5 sq. et ap. Paus. IX 30, 3. Cf. Lobeck. *Aglaoph.* p. 233 sqq. 942 sq. —

§ 11. Tatiani uerba ad artem fingendi, i. e. ad artes figulorum, sculptorum, statuariorum pertinere Clementis loco simili § 21 demonstratur. Testimonia autem apud Graecos scriptores frustra quaesiui. Graecorum enim alii hoc εὕρ. attribuerunt Ioui ipsi: Cramer. An. Ox. IV p. 239, 24, alii Prometheo: Isid. orig. VIII 11, 8, cf. Philemon. ap. Stob. flor. II 27. Quin Plinius n. h. XXXV 151 sq., quo loco Graecos auctores secutus laudem inuentae plastices uel Corintho uel Samo adscribi narrat, apertissimis uerbis effert recentiore demum tempore ex Graecia translatam esse hanc artem in Italiam. Tuscis uero honorem huius εὑρ. a Graeco ullo scriptore esse adsignatum omnino a probabilitate abhorret. Immo ad Romanum aliquem auctorem haec memoria referenda est. Romani enim cum in uniuersum se Tuscis multa, quae usui erant ad uitae cultum, debuisse profitentur, tum huius εὑρ. testimonia suppeditant: Varr. ap. Plin. n. h. XXXV 154 et 157; Porph. ad Hor. ep. II 2, 180; Cassiod. uar. VII 15. Accedit quod *Τουσκανοί* forma pro *Τοῦσκοι* uel pro uetustiore forma *Τυρρηνοί*, quae § 15 legitur, praeter hunc et Clementis Eusebiique locos cognatos nusquam reperitur. Itaque e Romano fonte fluxisse hoc inuentum adseuerare licet, praesertim cum Romani Tuscanicus adiectiuum pro Tuscus usurpare solerent, ut res Etruriae prae ceteris

proprias significarent: Varr. ling. lat. V 161; Plin. n. h. XXXIV 34. 43; XXXV 154; al. —

§ 12. Idem alibi traditum non uidi, sed similia saltem indicant Herod. II 77, 1; Ioseph. c. Ap. 6, cf. Strab. XVII 1, 5; Macrob. sat. I 20, 7 et noster infra c. 38 p. 39,7S dicit: „*Αἰγυπτίων δέ εἰσιν ἀκριβεῖς χρόνων ἀναγραφαί.*“

§ 13. Summa est ueterum scriptorum cum de musicae inuentoribus tum de Marsya Olympoque dissensio. Nec tamen desunt testimonia, quibus narrationi Tatianeae fides addatur. a) Marsyam tibias a Minerua abiectas inuenisse [1]) referunt Apollod. bibl. I 4, 2, 1; Schol. Plat. Min. p. 925, 15 Turic.; Hyg. fab. 165; ipsum autem tibiarum repertorem perhibent Metrodor. ap. Athen. IV p. 184[a] et Suid. s. *M.*; Plin. n. h. VII 204 ei geminas tibias adsignat; Diod. III 58, 3 narrat eum sonos syringis a Cybele excogitatae imitatum esse et ad tibias harmoniam transtulisse. b) Olympum primum *ἐπικήδειον αὐλῆσαι Λυδιστί* Aristoxeni est sententia ap. Plut. de mus. 15, 3; eum *τὸ συναυλεῖν* inuenisse testatur Schol. Arist. eq. 9. — Ambos una inter ueteres rerum inuentores recenset Plat. leg. III p. 677[d] „*τὰ δὲ περὶ μουσικὴν M. καὶ Ὀ.*“ Quod autem ad patriam eorum attinet, Marsyas omnibus, quos uiderim, locis Phryx audit, Olympum tamen nonnulli auctores non Phrygem, sed Mysum fuisse dicunt: Schol. Plat. Min. p. 925, 15 Tur.; Clem. Alex. § 32; Suid. s. *Ὄλυμπος Μαίονος*; Cramer. An. Ox. IV p. 400, 19. —

§ 14. Qui intellegendi sint *ἄγροικοι*, ignoro nec scio an Tatianus [2]), cum in fonte suo legisset, Panem deum

---

1) Hanc „*τῶν ἀρχαίων*“ fabulam (cf. Aristot. polit. V (VIII) 6, 8 p. 1341[b]) apud Melanippidem et Telestem (Athen. XIV p. 616[e]) primos commemoratam legimus.

2) Notandum est a Clemente, quem eodem ac Tatianum fonte usum esse infra demonstrabo, hoc *εὑρ.* esse omissum.

agrestem (cf. Hyg. § 25) fistulam inuenisse, ipse ἀγροίκους substituerit, quos Graecis urbanis atque eruditis opponeret. Tamen consilio eius non conuenit nisi barbarus uel populus uel homo. Ex barbaris autem alii alios fistulae inuentores uenditant: Poll. IV 77; Clem. Al. § 34; Athen. IV p. 184[a]. —

§ 15. Iam Aeschylus tubam nuncupat Τυρσηνικήν: Eum. 567; εὑρ. testantur Diod. V 40; Poll. IV 85, cf. IV 76; Athen. IV p. 184[a]; copiosissime autem de tuba loquitur Schol. Hom. Σ 219, cf. Schol. Soph. Ai. 17 Papag. —

§ 16. Plin. n. h. VII 197 sq.; Schol. Hom. K 439. Deriuatum est hoc εὑρ. ex eis recentioris ortus fabulis, quibus Cyclopes opifices ferrarii Vulcanique ministri esse atque Ioui fulmina fabricauisse narrabantur: Apollod. bibl. I 2, 1, 3; Eur. Alc. 5; al. —

§ 17 ut recte interpretemur, paulum exspatiandum est. Apud Eustath. ad Il. p. 228, 2 legimus: ab eis, qui de Palamedis heurematis scripserint, testimonium proferri solere Sophoclis locum quendam (fr. 438 Nauck.[2]), quo illa expressis uerbis commemorantur. Eandem sine dubio rationem ipsi heurematographi adhibuerunt. Nam sicut omnes, quicumque ad historiam scribendam se applicant, ita eos quoque, qui inuentorum historiae operam studiumque nauarent, primum, ut materiem congererent, litterarum monumentis euolutis locos, quibuscumque heuremata narrata essent, conlegisse consentaneum est [1]). Id quod etiam ea

1) Eandem uiam ingressi sunt uiri docti, qui saeculo XVI de rerum inuentoribus libros ediderunt. Congesserunt enim iudicio non adhibito, quaecumque apud ueteres Graecos Romanosque de rebus inuentis narrata legerant. In nostris igitur quaestionibus nullius pretii sunt et prorsus inepte faciet, qui illos auctores in testimonium uocauerit, id quod quidem etiam nostra aetate nonnumquam factum esse uidi. Ioannes Beck-

re demonstratur, quod in Plinii et Clementis catalogis, quorum maximam certe partem ex libris heurematicis deriuatam esse infra intellegemus, Hesiodus, Herodotus, Ctesias, Aristoteles alii nominantur testes. In excerpendis uero uetustiorum scriptorum locis heurematographos nonnumquam neglegentia ita lapsos esse, ut res commiscerent, luculentum exstat exemplum in catalogo Pliniano. Contenditur enim n. h. VII 207: „triremem Thucydides Aminoclen Corinthium (primum fecisse auctor est)“. Loco tamen, qui respicitur (I 13), Thucydides ipse tradit: ‘in Graecia primum Corinthi aedificatas esse triremes, Aminoclem autem, Corinthium fabrum, Samiis quattuor naues fabricatum esse’. Peccauit igitur heurematographus [1]), quem Plinius l. l. exscripsit. Simili autem errori heurema, quod Tatianus Hellanico auctore laudato § 17 exhibet, tribuere nobis licet, cum alio eiusdem auctoris fragmento perspiciamus, quomodo ortum sit. Westermanni *Paradoxogr.* p. 215 (= FHG I p. 68 fr. 163^b) „*Ἄτοσσα. Ταύτην φησὶν Ἑλλ. ὑπὸ τοῦ πατρὸς Ἀριάσπου ὡς ἄρρενα τραφεῖσαν διαδέξασθαι τὴν βασιλείαν. κρυβοῦσαν δὲ τὴν τῶν γυναίων ἐπίνοιαν τιάραν πρώτην φορέσαι, πρώτην*

---

mann omnes aut certe plerasque huius generis scriptiones recensuit: *Beytraege zur Geschichte der Erfindungen* I 1786 p. 58. 153. 260. 316. 535; III 1792 p. 452. 559; IV 1799 p. 464. Ipse inspexi eius, qui antesignanus horum studiorum et fons omnium fere recentiorum eiusdem classis auctorum exstitit, Polydori Vergilii Urbinatis *De inuentoribus rerum libros tres* (ed. a. 1509), cuius operis Beckmannus 56 editiones enumerauit, et M. Antonii Sabellici *De rerum et artium inuentoribus poema* (ed. a. 1509).

1) Rectius Thucydidis narrationem expressit Themistius or. XXVI p. 382, 2 Dind., quo loco et hic nonnulla e libro nescio quo heurematico delibauisse mihi uidetur.

δὲ καὶ ἀναξυρίδας [1]) καὶ τὴν τῶν εὐνούχων ὑπουργίαν [2]) εὑρεῖν καί διὰ βίβλων τὰς ἀποκρίσεις ποιεῖσθαι. πολλὰ δὲ ὑποτάξασα ἔθνη πολεμικωτάτη καὶ ἀνδρειοτάτη ἐν παντὶ ἔργῳ ἐγένετο." Heurematographus enim nescio quis cum ex Hellanici *Persicis* Atossae inuenta tria — tiaram, braccas, eunuchorum institutum — excerpsisset, etiam uerba, quae tertium εὑρ. excipiebant („καὶ διὰ βίβλων τὰς ἀποκρίσεις [3]) ποιεῖσθαι"), quasi id quoque inter inuenta esset, in conlectanea sua adiecit atque ita ea interpretatus est, ut Atossam e p i s t o l a s scribendi inuentricem perhiberet. Periculosum ergo est heurematis ueterum confidere [4]).

Quoniam singula quae Tatianus profert inuenta percensuimus, nunc uideamus, quid inde de toto catalogo

---

1) Simili modo Persici uestitus excogitati honor defertur ad Medeam ap. Strab. XI 13, 10 et ad Semiramin: cf. quae infra p. 42 ad Clem. Alex. § 48 adnotaui.

2) cf. Donat. ad Ter. Eun. I 2, 87 = Hellan. fr. 169.

3) Idem fere institutum, dico „responsa gentibus per internuntios dari", a Nino Assyriorum rege inuentum esse simili argumentatione prolata Iustinus I 2, 12 commemorat.

4) Famam quandam locus, quem tractaui, adsecutus est per Bentleyium, qui eo usus est, ut epistolas Phalarideas falsas esse demonstraret: *Phalarid.* ed. Ribbeck. p. 530 sqq. Deinde Dodwellius *De aetate Phalar. et Pyth.* 1704. p. VIII euincere studuit ab Atossa repertam esse non artem ipsam epistolas scribendi, sed tabulas epistolares inuicem compaginandi; frustra tamen sudauit in συντάσσειν uerbo interpretando, quod sicut § 12 ita hoc quoque loco nihil aliud significat nisi componere uel scribere. Mirum uero in modum errauerunt Krafftius et Teuffelius dicentes Pauly. *Real-Enc.* I 2 (1886) p. 2039: *„Hellan. bezeichnet Atossa als die erste, welche Briefe verfasste, d. h. sie war eine der frühesten Personen, der man Briefe unterschob."* Num iam ante Hellanicum, uetustum illum historicum, suppositiciae epistolae circumferebantur?

conligatur. Ac primum quidem cum omnia aut aliorum auctorum apertis uerbis confirmentur, aut argumentis satis idoneis probabilia fiant, non de fraude, non de fallaciis Assyrii ullo modo cogitari potest. Propter multitudinem autem singularum, quae enarrantur, rerum uerisimile est eum neque haec omnia e sua memoria in chartam coniecisse neque ipsum conquirendo catalogum confecisse: immo librum ante oculos habuisse uidetur Tatianus, quo congesta erant heuremata. Hoc non solum § 17 comprobatur, utpote quae intellegi nequeat nisi eam e libro *π. εὑρ.* conscripto deductam esse coniciamus, sed etiam ea re demonstratur, quod diuersissimae ac dissimillimae res in unum comprehenduntur. Spero autem fore ut accuratius de fonte Tatiani iudicemus, postquam et Clementis et Gregorii catalogos inspexerimus.

Caput secundum.

Atque Clemens quidem Alexandrinus eodem atque Tatianus consilio historiam inuentorum in usum suum contulit, ut Graecos omnem suam sapientiam, artes, instituta a barbaris mutuatos esse atque recentissimis demum temporibus ád humanum ciuilemque cultum peruenisse comprobaret. Copiosus igitur *εὑρημάτων* catalogus, qui *Στρωματέων* libri I capite XVI continetur, in duas distinguitur partes, quarum alteram non sine iusta causa interim omittamus. Priore autem parte 49 barbarorum inuenta recensentur, quae dissoluto narrationis contextu, ordine tamen seruato ita transscribam, ut natura catalogi statim perspiciatur.

Clem. strom. I 16, 74—76, p. 62—65, 3 Dind.:

1 *Αἰγύπτιοι ἀστρολογίαν*, 2 eidem *λύχνους*, 3 *τοὺς ιβ' μῆνας*, 4 *μὴ μίσγεσθαι γυναιξὶν ἐν ἱεροῖς κτλ.*, 5 *γεωμετρίαν*. ‖ 6 *Κᾶρες τὴν δι' ἀστέρων πρόγνωσιν*. 7 *Φρύγες πτήσεις ὀρνίθων παραφυλάττεσθαι*. 8 *Τοῦσκοι θυτικήν*. 9 *Ἴσαυροι καὶ Ἄραβες οἰωνιστικήν*. 10 *Τελμησεῖς τὴν δι' ὀνείρων μαντικήν*. 11 *Τυρρηνοὶ σάλπιγγα*. 12 *Φρύγες αὐλόν*. 13 *Κάδμος γράμματα*. ‖ 14 *Ἆπις ἰατρικήν*. 15 *Ἄτλας ναῦν*. 16 *Δάκτυλοι σίδηρον*. 17 *Δέλας χαλκοῦ κρᾶσιν*. 18 *Θρᾷκες ἅρπην*, 19 eidem *πέλταις ἐπὶ τῶν ἵππων χρῆσθαι*. 20 *Ἰλλύριοι πέλτην*. ‖ 21 *Τουσκανοὶ πλαστικήν*. ‖ 22 *Ἰταλὸς θυρεόν*. 23 *Κάδμος λιθοτομίαν*, 24 idem *μέταλλα χρυσοῦ*. 25 *Καππάδοκες νάβλαν*. ‖ 26 *Ἀσσύριοι δίχορδον*. ‖ 27 *Καρχηδόνιοι τετρήρη*. 28 *Μήδεια βαφὴν τριχῶν*. 29 *Νώροπες χαλκὸν κατεργάζεσθαι*, 30 eidem *σίδηρον καθαίρειν*. ‖ 31 *Ἄμυκος ἱμάντας πυκτικούς*. ‖ 32 *Ὄλυμπος Λύδιον ἁρμονίαν*. ‖ 33 *Τρωγλοδύται σαμβύκην*. 34 *Σάτυρος πλαγίαν σύριγγα*. 35 *Ἄγνις τρίχορδον*, 36 idem *διάτονον ἁρμονίαν*. 37 *Ὄλυμπος κρούματα*. 38 *Μαρσύας Φρύγιον*, 39 et *μιξοφρύγιον*, 40 et *μιξολύδιον ἁρμονίαν*. 41 *Θάμυρις Δώριον ἁρμονίαν*. ‖ 42 *Πέρσαι ἀπήνην*, 43 eidem *κλίνην*, 44 eidem *ὑποπόδιον*. 45 *Σιδώνιοι τρίκροτον ναῦν*. 46 *Σικελοὶ φόρμιγγα*, 47 eidem *κρόταλα*. ‖ 48 *ἐπὶ Σεμιράμεως βύσσινα ἱμάτια*. 49 *Ἄτοσσα ἐπιστολάς*.

Iam Eichholtzius (p. 4—8) rectissime intellexit ex hoc catalogo certum *εὑρημάτων* numerum secerni posse, quae inter se coniuncta a ceteris segreganda sint. Maior enim pars ita disposita est, ut *εὑρετῶν* nomina secundum litterarum ordinem enumerentur. Huic rationi subiecta sunt 17 nomina *εὑρετῶν* cum 27 inuentis: *Αἰγύπτιοι*, *Ἆπις*, *Ἄτλας*, *Δάκτυλοι* et q. s. usque ad *Σικελῶν* [1]) nomen;

---

1) Animaduertendum est nomina non solum primarum singularum, sed binarum etiam ac ternarum litterarum ordinem

obstant ei 19 εὑρετῶν nomina cum 22 heurematis. Casui profecto illum ordinem nemo tribuet, immo duo minimum diuersa elementa confusa esse firmis argumentis [1]) euincitur.

Cernimus enim earum, quae seriem litterarum turbent, paragraphorum plerasque argumenti similitudine coniunctas corpuscula quaedam efficere. Cuiusmodi sunt §§ 33—41, quae non solum cunctae ad artem musicam spectant, sed etiam idoneo loco in catalogum alphabeticum insertae sunt, scilicet post Λύδιον ἁρμονίαν commemoratam, ita ut appareat Clementem ad aliud armamentarium confugisse, ut ornatum locupletaret. Similiter sese habet primum embolium, cuius paragraphis quinque primis (§§ 6—10) inter se conexis de diuinatione agitur. Nec dubitari potest, quin hae §§ alio e fonte huc intrusae sint, quoniam uerbis ipsis manifesto indicatur primam embolii paragraphum („εἰσὶν δὲ οἱ Κᾶρας τὴν δι᾽ ἀστέρων πρόγνωσιν ἐπινενοηκέναι λέγουσιν") opponi primo alphabetici catalogi inuento (Αἰγύπτιοι — ἀστρολογίαν). Sed si quis in ea re offendat, quod § 6 non ipsi paragrapho primae adnexa est, eum admonitum uolo hoc eam ob causam esse factum, ne series εὑρημάτων Aegyptiorum interrumperetur, namque ex eodem altero fonte additae sunt ad § sextam quattuor etiam §§ (7—10), quae ad eandem materiam, diuinationem dico, spectant. Has excipiunt tria inuenta: σάλπιγξ, αὐλός, γράμματα, quae quod hunc locum obtinent, uel casui uel libidini compilatoris dandum esse uidetur. Restant praetera nonnullae §§ (21, 26, 31, 48, 49), quarum una (§ 26 Ἀσσύριοι — δίχορδον) propter argumenti similitudinem apte cum

---

sequi: alioquin Σεμιράμεως quoque nomen (§ 48) huic parti adsignare liceret.

1) Haec Eichholtzius persecutus non est.

§ 25 (*Καππάδοκες* — *νάβλαν*) coniuncta est, ceterae autem extra omnem ordinem adspersae sunt [1]).

Accedunt alia indicia, quibus catalogum Clementinum esse cinnum e duobus minimum fontibus conflatum luculentissime comprobatur.

Ordine alphabetico cum *εὑρετῶν* modo nomina respiciantur, res argumento coniunctae plane dirimuntur. Materiae enim similitudine [2]) cognatae sunt: §§ 16 et 30; §§ 29 et 17; §§ 15, 45, 27. Ab altera autem parte res inter se dissimillimae sub *εὑρετοῦ* nomine comprehenduntur: §§ 1—5; 18 sq.; 42—44.

Deinde eadem *εὑρετῶν* nomina diuersis consarcinati catalogi locis iterantur. Cadmi enim nomen in serie alphabetica suum habet locum § 23 sq., legitur autem iam in primo embolio § 13; Olympus cum suo loco recenseatur § 32, infra occurrit in embolio ad musicam pertinenti § 37, et supra cum Marsya coniunctus § 12; hic autem iterum § 38 sqq. producitur.

Tum fontium diuersitas ea quoque re proditur, quod Olympus in catalogo alphabetico Mysus (§ 32) audit, in emboliis autem (§§ 12 et 37) Phryx (cf. quae adnotaui ad Tat. § 13).

Certum igitur est Clementem maiorem materiae partem e conlectione quadam inuentorum, qua *εὑρετῶν* nomina ad litterarum ordinem disposita erant, mutuatum non pauca ex uno uel compluribus aliis fontibus petita adiecisse. Alphabeticum autem fontem breuitatis causa A titulo notare nobis liceat.

---

1) Dicat quispiam § 21 *πλαστικήν* propter litterarum seriem esse adiectam ad § 20 *πέλτην*.

2) Quod § 20 (*πέλτην*) cum § 19 (*πέλταις χρῆσθαι ἐπὶ τῶν ἵππων*) conexa est, casui dandum est, cum *εὑρετῶν* nomina (19 *Θρᾷκες*, 20 *Ἰλλύριοι*) alphabeticum ordinem prae se ferant.

Hanc postquam *εὑρημάτων* aciem instruxit Clemens, octo Graecos auctores laudat, quasi ex horum libris copias suas conscripserit et delegerit: „*Σκάμων μὲν οὖν*, inquit p. 65, 4, *ὁ Μυτιληναῖος καὶ Θεόφραστος ὁ Ἐρέσιος, Κύδιππός τε ὁ Μαντινεύς, ἔτι τε Ἀντιφάνης καὶ Ἀριστόδημος καὶ Ἀριστοτέλης, πρὸς τούτοις δὲ Φιλοστέφανος, ἀλλὰ καὶ Στράτων ὁ περιπατητικὸς ἐν τοῖς Περὶ εὑρημάτων ταῦτα ἱστόρησαν. παρεθέμην δὲ αὐτῶν ὀλίγα εἰς σύστασιν τῆς παρὰ βαρβάροις εὑρετικῆς καὶ βιωφελοῦς φύσεως, παρ' ὧν Ἕλληνες τὰ ἐπιτηδεύματα ὠφέληνται.*"

At caue putes Clementem ipsum [1]) libros uniuscuiusque ex octo illis scriptoribus euoluisse, ut materiem suam corraderet. Id enim consuetudini eius nequaquam conuenit, quippe quem pleraque ueteris Graecae doctrinae, quae operibus eius continentur, non ipsum conquisiuisse, sed praeparata iam ex aliorum auctorum operibus uel enchiridiis transscripsisse inter omnes constet [2]). Contra quandoquidem unam saltem ac maiorem catalogi partem iam in ordinem redactam Clementi obuenisse intelleximus, ne auctorum quidem indiculum ab hoc ipso confectum esse credemus. Immo auctorum nomina uni ex fontibus deberi uerisimillimum est, quibus compilator usus est. Namque cum inter auctores nominatos quattuor reperiantur — dico Scamonem, Theophrastum, Philostephanum, Stratonem —, quos peculiaria *π. εὑρ.* opera edidisse certis testimoniis cognitum habemus, hunc auctorum indicem pertinuisse suspicor ad enchiridium quoddam, quo inuenta ex horum

---

1) Haec Brusskernii (p. 25) est superstitio.

2) Clementem enchiridiis quibusdam usum esse demonstrauit Hiller *Herm.* XXI 1886 p. 126 sqq.; eum etiam duos fontes in unum confudisse primus, ni fallor, docuit Dielsius *Doxogr. Gr.* 1879 p. 129 sqq.; segnitiem autem eius ostendit Wendlandius *Quaestiones Musonianae*. Berol. 1886 p. 34 sqq.

heurematicorum libris excerpta et conlecta continerentur, ceterorum autem quattuor scriptorum [1]) nomina — quae medio in indice posita sunt — in heurematicorum libris laudata fuisse; eum igitur, qui epitomam illam consarcinauit, auctores cum eos, ex quibus ipse hausisset, tum quos in fontibus testes prolatos repperisset, in fine opusculi apposuisse. Hoc autem enchiridium nemo dubitabit quin idem fuerit atque illud, ex quo Clemens inuentores ad litterarum ordinem dispositos delibauit; id quod indole A corpusculi uel probabilius fit. Nam cum illis catalogi particulis, quae seriem litterarum turbant, tres laudentur historici Ephorus, Herodotus (§ 13), Hellanicus (§ 49), in alphabetico catalogo praeter Hesiodum poetam (§ 17) nullum scriptoris nomen excitatur.

Coniecturam autem nostram reliquiae octo illorum scriptorum satis confirmant. Primum enim pauca deprehenduntur inter fragmenta Scamonis primo indiculi loco positi, quae a b h o r r e a n t ab eis heurematis, quae in A corpusculum inculcata sunt. Cum Clemens § 13 Herodoto teste producto litteras de Cadmo Phoenice nomen traxisse referat, Scamo ipse (fr. 2 Muell. fr. 4 Eichh.) nomen de Phoenice, Actaeonis filia, deriuauit. At opponat quispiam Clementem hanc explicationem, quoniam Phoenice Graeca, non barbara fuerit, prudentem praeteriisse; eum ablego ad Scamonis fr. 4 Muell. fr. 2 Eichh.: Scamo sambucam Sambyci cuidam, qui procul dubio barbarus existimandus est, attribuit, contra Clemens § 33 — in embolio quod ad musicam spectat — Troglodytis. Sed haec leuioris sunt momenti.

---

1) Clementis uerbis „*ἐν τοῖς περὶ εὑρημάτων ταῦτα ἱστόρησαν*“ significari uidetur unumquemque ex octo illis scriptoribus libros *π. εὑρ.* edidisse, tamen, cum alia testimonia desint, his compilatoris uerbis nihil tribuendum est. Itaque Aristotelem, Antiphanem, Cydippum, Aristodemum e recensu heurematographorum relegatos uelim, quem Brusskernius constituit.

Ab altera autem parte testimonia non desunt, quibus demonstretur alphabeticum catalogum congruere cum sententiis octo illorum auctorum. Nam sicut infra in tractandis singulis adnotabo, § 17ª Theophrasti, § 17ᵇ Aristotelis uidetur esse sententia; § 23 non discrepat saltem a Theophrasti sententia; § 27 ad Aristotelem referre licet. Neque obstat, quod Philostephanus fr. 29 Muell. fr. 1 Eichh. „longa naue Iasonem primum nauigasse" tradit, cum Clementis catalogo alphabetico § 15 Atlas primus *ναῦν ναυπηγῆσαι καὶ τὴν θάλασσαν πλεῦσαι* et § 45 Sidonii primi *τρίκροτον ναῦν κατασκευάσαι* perhibeantur. Nam praeterquam quod Clemens propter consilium suum Iasonem ut Graecum nimirum inuentorem praeterire debuit, argumenta horum heurematum ita dissimilia sunt, ut inter se non repugnent. Ceteris autem auctorum illorum reliquiis nihil inest, quo ad quaestionem nostram disceptandam quicquam discamus.

Aliter [1]) uero de fontium indice iudicauit Harnackius [2]). Coniunctione enim *πρὸς τούτοις δέ* duas distingui classes indicis arbitratur, quarum alterius scriptores — sunt Philostephanus et Strato — Clemens ipse inspexerit. Quae coniectura quamuis primo obtutu arrideat, tamen probari nequit. Nam apud Clementem *πρὸς τούτοις δέ* coniunctio idem fere ualet, quod coniunctiones *ἔτι τε*, quae praecedit, et *ἀλλὰ καί*, quae sequitur. Adhibetur autem a Clemente, ut nomina potissimum enumeranda coniungantur, neque aut distinguendi aut opponendi uim habet, nisi alia particula addita est: cf. ed. Dindorf.

1) Nam de Muelleri (FHG IV p. 490), Rosei (*Aristot. pseudepigr.* p. 410, 498, 534), Eichholtzii (p. 10) sententiis uerba facere supersedeo.

2) *Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristl. Litt.* ed. Gebhardt. et Harnack. uol. I 1883. 1 p. 224 n. 281; cf. p. 19 sq.

II p. 109, 11; p. 230, 2; III p. 46, 12; p. 141, 6; eodemque modo usurpatur ἐπὶ τούτοις: cf. I p. 29, 9; p. 35, 1; III p. 148, 8.

Itaque auctorum indiculus dissecari nequit, sed totus primario Clementis fonti addicendus est. Atque alphabetico inuentorum enchiridio optime conuenit, quippe quod e compluribus π. εὑρ. libris consutum esse necessario statuendum sit. Quando autem hoc conscriptum sit, etsi nescimus, tamen pro certo ferme contendere licet non multo ante Chr. n. factum esse. Ordo enim alphabeticus, ut qui ab argumenti natura prorsus abhorreat atque cum ratione doctrinaque discrepans eo tantum spectet, ut materiem ad uulgi captum usumque reddat habiliorem, ortus esse nequit ante illud tempus [1]), quo ueteres a uero doctrinae studio deflectentes totam industriam in ea re ponere coeperunt, ut thesauros eruditionis uetustioris compilarent excerperentque atque ampla uirorum doctorum uolumina in angustius coartarent.

His iactis fundamentis, priusquam de ceteris catalogi Clementini fontibus disseramus, singula quae narrantur heuremata perscrutemur [2]).

---

1) Bibliothecarii tamen, uelut in enumerandis auctorum operibus, iam Callimacheorum temporibus ordine alphabetico usi sunt.

2) Vigerus ad Euseb. praep. euang. X p. 475^b (ed. Paris. a. 1628) adnotauit: „Fronto Noster ὁ μακαρίτης dissimulato nomine locum illum Clementis (dicit catalogum) erudite illustrauit.“ Fronto Ducaeus autem *Conlectanea in Clementem Al.* edidit; praeterea Fabricius *Bibl. Gr.* VII (ed. Harles. 1801) p. 128 refert editionem Clementis Parisinam anni 1629 instructam esse notis Frontonis Ducaei. Tamen cum neque ille Frontonis libellus neque haec Clementis editio in thesauris bibliothecae acad. Lipsiensis seruetur, commentarium Frontonis, ad quem Vigerus lectores ablegauit, in usum conuertere mihi non licuit. Nec uero nimis doleo, quod illo, qualecumque fuit,

Clem. Alex. strom. I 16, 74—76.

§ 1 „*Αἰγύπτιοι γοῦν πρῶτοι ἀστρολογίαν εἰς ἀνθρώπους ἐξήνεγκαν, ὁμοίως δὲ καὶ Χαλδαῖοι.*“ Testimonia: a) Diod. I 9, 6 saepiusque; Plin. n. h. VII 203; cf. Herod. II 4; 82. b) Cic. de diu. I 1, 2; Diod. II 29; Strab. XVI 1, 6. —

§ 2 „*Αἰγύπτιοι λύχνους τε αὖ καίειν πρῶτοι κατέδειξαν . . .*“ De lucernae inuentoribus apud ceteros scriptores nihil traditum uidi, uerisimile autem mihi est *εὑρ.* deductum esse ex eis, quae Herodotus II 62 de lucernarum in Aegyptiorum festis usu narrat; nam etiam duo quae secuntur heuremata ex eodem libro excerpta esse uidentur:

§ 3 „*καὶ τὸν ἐνιαυτὸν εἰς δώδεκα μῆνας διεῖλον . . .*“ ex Herod. II 4, 1, et

§ 4 „*καὶ ἐν ἱεροῖς μίσγεσθαι γυναιξὶν ἐκώλυσαν μηδ' εἰς ἱερὰ εἰσιέναι ἀπὸ γυναικὸς ἀλούτους ἐνομοθέτησαν*“ eisdem fere uerbis ex Herod. II 64, 2. —

§§ 5. 6. 7 = Tat. §§ 7. 2. 3ᵃ. —

§ 8 „*καὶ θυτικὴν ἠκρίβωσαν Τοῦσκοι Ἰταλίας γείτονες.*“ De *θυτικῆς* uoce cf. ad Tat. § 4. Testimonia: Schol. Bern. ad Lucan. I 636; Cic. de diu. II 23, 50, ubi Tages aruspicinam docuisse traditur; al. Tamen huic narratiunculae singulare quoddam inest. Animaduertimus enim, qui hoc loco *Τοῦσκοι* audiant, aliis duobus catalogi locis aliis nominibus notari: atque *Τυρρηνοί* quidem forma (§ 11) optime quadrat ad Graecum fontem, quem locus poscit,

---

adiumento carui, nam ne ceteri quidem editores interpretesque multum profecerunt in materia, quam tractandam mihi proposueram. Inspexi enim editiones Clementis hasce: Florentinam anni 1550; Sylburgianas anni 1641 et anni 1688; Potterianam anni 1715; Klotzianam anni 1831 sqq.; usus sum Dindorfii editione anno 1869 foras emissa. — Et sicut supra in Tatiani catalogo illustrando feci, ita nunc quoque omittam testimonia Tatiani, Eusebii, Theodoreti, Gregorii Naz., Theodori Prodromi.

Τουσκανοί autem formam (§ 21) ad Romanam memoriam reuocaui supra ad Tat. § 11. Offendimus uero non solum in ea re, quod *Ἰταλίας γείτονες* significantur, sed etiam, quod uerbum hac § adhibitum a ceterarum catalogi narrationum consuetudine abhorret. Enumerantur enim heuremata hisce fere modis: usurpatur aut uerbum siue inueniendi siue docendi aliquod aut uerbum finitum cum *πρῶτος* uocula addita; repugnant sola uerba *αὐξάνειν* § 14, de quo infra dicemus, et *ἀκριβοῦν* eo, quem tractamus, loco. Quae cum ita sint, Clementem eis *εὑρετῶν* nominibus, quae in fonte legerit — Cypriorum dico et Chaldaeorum: cf. Tat. § 4; Greg. § 14 et infra p. 47 sqq. —, repudiatis ipsum ex sua cognitione supposuisse conicio Etruscos, quippe quorum aruspicina ars — maxime apud Romanos — notissima usitatissimaque fuerit, atque ita quidem, ut, quoniam illos aruspicinae i n u e n t a e laude ornatos uiderit, his artem e x c u l t a m attribueret. Et cum ipse nouum nomen substituisset, sedes populi indicare uidetur cupiuisse, qua in re neglegentia peccauit. —

§ 9 „*Ἴσαυροι δὲ καὶ Ἄραβες ἐξεπόνησαν τὴν οἰωνιστικήν.*" a) = Tat. § 3b; b) cf. Cic. diu. I 41, 92; 42, 94. —

§§ 10. 11. 12. = Tat. §§ 1. 15. 13. —

§ 13a „*Κάδμος δὲ Φοῖνιξ ἦν ὁ τῶν γραμμάτων Ἕλλησιν εὑρετής, ὥς φησιν Ἔφορος, ὅθεν καὶ Φοινικήια τὰ γράμματα Ἡρόδοτος κεκλῆσθαι γράφει.*" Idem apud Luc. Tarrh.[1]) in Bekkeri An. Gr. p. 783, 1, qui Ephori testimonium ad librum alterum relegat; ambigitur autem, utrum *Historiarum* significetur liber an eius operis, quod *π. εὑρ.* Ephorus composuit; cf. Eichholtzium p. 31. Herodoti locus est V 58.

---

1) Cf. Hoerschelmannum *Act. soc. philol. Lips.* IV 1875 p. 333 sqq.

§ 13[b] „οἱ δὲ Φοίνικας καὶ Σύρους γράμματα ἐπινοῆσαι πρώτους λέγουσιν." Test.: Diod. V 74, 1; Plin. n. h. VII 192; Crameri An. Ox. IV p. 400, 12. —

§ 14 „ἰατρικὴν δὲ Ἆπιν Αἰγύπτιον [αὐτόχθονα πρὶν εἰς Αἴγυπτον ἀφικέσθαι τὴν Ἰώ], μετὰ δὲ ταῦτα Ἀσκληπιὸν τὴν τέχνην αὐξῆσαι λέγουσιν." Test.: Cyrillus c. Iul. VI p. 200[d] Spanh. narrat Apidem, aedituum illustrem Aegyptium, medicinam inuenisse eamque Aesculapio, Coronidis et Apollinis aut sacerdotis alicuius Graeci filio, tradidisse, qui deinde artem per totum orbem terrarum propagaret. Paulo aliter autem eandem rem Theodoretus in deorum indice quodam Euhemeristico refert: „καὶ Ἀσκληπιόν, inquit therap. III 26, ὡς τῆς ἰατρικῆς ἐπιστήμης εὑρετὴν γεγενημένον, θεὸν τελευτήσαντα προσηγόρευσαν (Graeci). διὰ δὲ τὴν αὐτὴν αἰτίαν καὶ τὸν Ἆπιν Αἰγύπτιοι θείας προσηγορίας ἠξίωσαν." Nec tamen in testimonium uocare licet Suidam, qui s. u. γράμματα: „ὅτι τὰ γράμματα Φοίνικες ἐφεῦρον πρῶτοι, ἔνθεν καὶ Φοινίκεια ἐκλήθησαν· καὶ τὸν Κάδμον φασὶ πρῶτον εἰς τὴν Ἑλλάδα κομίσαι· ἰατρικὴν δὲ ὁ Ἆπις ὁ Αἰγύπτιος· ἐ δ' Ἀσκληπιὸς ηὔξησε τὴν τέχνην" [1]). Mirum sane est, quod lexicographus haec duo heuremata, quamuis inter se dissimilia, in unum comprehendit atque eodem ordine protulit, quo Clemens ea ex diuersis fontibus arcessita (cf. supra p. 17 sqq.) in catalogo suo coniunxit. Suidam autem ex Clemente ipso haec esse mutuatum quominus coniciamus ea re impedimur, quod Suidas Clementem Alexandrinum [2]) omnino non adhibuisse uidetur. Praeterea in priore parti-

1) Huius explanationis prior pars s. u. Κάδμος, altera s. u. Ἆπις iteratur.

2) Ille enim Clemens, quem Suidas e Photio hauriens ter laudauit (s. u. u. Ζάλην, Ἥρας, Παλίμβολος), non est noster, sed interpres Platonis; cf. adn. Bernhardyi ad u. Παλίμβολος.

cula a Clementis narratione cum uerbis et omissis et mutatis, tum ordine abhorret. Iisdem uero rebus cum Theodoreti[1]) epitoma (cf. infra p. 59 sqq.) conspirat. Unum tamen offendit. Suidae enim „ἔνθεν καὶ Φοινίκεια ἐκλήθησαν“ uerba apud Theodoretum desiderantur, cum apud Clementem legatur: „ὅθεν καὶ Φοινικήια τὰ γράμματα Ἡρόδοτος κεκλῆσθαι γράφει“, ita ut quamuis inuiti ad Clementem reici uideamur. Nec uero quisquam infitiabitur hoc Suidae additamento nihil contineri nisi notissimam rem, quam homo etiam mediocriter in litteris uersatus e multis fontibus desumere potuerit et quam locus uel poscere uideatur. Itaque Suidam γράμματα lemmatos explanationem e Theodoreti θεραπευτικῆς libro hausisse et iis, de quibus modo egi, uerbis ipsum locupletauisse suspicamur, praesertim cum lexicographus huius libros saepissime in usum conuerterit. Bernhardyus enim in indice auctorum a Suida adhibitorum 150 circiter locos indicauit, quos ille e Theodoreti operibus delibauit; quo in numero duo reperiuntur, qui eodem ex θεραπευτικῆς libro transscripti sunt: Suid. s. Σαρδανάπαλος et s. Σαταvᾶς ex Theod. θεραπ. XII 94 et III 100 sq.[2]). Ablegandum ergo est Suidae[3]) testimonium per Theodoretum ad ipsius Clementis auctoritatem.

1) Theodoreti epitomam praeterea transscripsit grammaticus nescio quis in Crameri An. Oxon. IV p. 241, 14—17 (cf. infra cap. VIII).

2) Etiam his locis Suidas paucula quaedam addidit, quae in Theodoreti codicibus desunt.

3) Iacobus de Rhoer ad Porphyr. de abstin. III 15 p. 249 (ed. a. 1767) Suidam s. u. Ἆπις respexisse putat Aeschyli suppl. 262 additque „Aegyptium (Apidem) cum Argiuo saepe confundi constat inter omnes“. Quem secuti Suidae editores lectorem reuocant ad Aeschyli l. l. At falsissime! quomodo enim euincitur Suidae neglegentia Aegyptium Apidem substitutum esse pro Aeschyleo illo, qui „ἐλθὼν ἐκ

Quid uero iudicandum est de Clementis uerbis „αὐτόχθονα πρὶν εἰς Αἴγυπτον ἀφικέσθαι τὴν Ἰώ“? Apud Eusebium [1]) enim, a quo totum Clementis catalogum exscriptum esse infra docebo, desiderantur haec uerba, neque quicquam in eius narratione requiritur neque ulla est causa, cur credamus Clementis uerba illa aut consilio a compilatore omissa esse aut casu in Eusebii codicibus excidisse. Immo in Clementis libro postea adscripta esse uidentur: nam unum efficiunt contextum, ac facile intellegitur, quam ob causam [2]) addita sint. Eo scilicet consilio, ut Apidem esse indigenam [3]) Aegyptium atque barbarum diserte adfirmaretur, ne quis eum confunderet aut cum Apide Argiuo

---

πέρας Ναυπακτίας ἰατρόμαντις παῖς Ἀπόλλωνος“ Argiuorum fines expiauit? — Praeterea Suidae editoribus scrupulum mouit, quod s. u. Ἆπις legitur „εἰς τὴν Ἑλλάδα μετακομίσαι λέγεται“: hoc autem praedicatum, quod dicitur, Suidas ipse uel interpolator Suidae, cum γράμματα lemmatos explanationem in duas partes distribueret, ex enuntiato, quod antecedit, „τὸν Κάδμον φασὶ πρῶτον (τὰ γράμματα) εἰς τὴν Ἑ. κομίσαι“ suppleuit, quanquam scribere debuit ex primo enuntiato: „ἐξεῦρεν“.

1) Ceteros Clementis compilatores praetermitto, quia obiter tantum Clementinam narrationem excerpserunt.

2) Non probo sententiam Brusskernii, qui ut additamentum illud explicaret, p. 36 coniecit Ionem esse intellegendam eponymam inuentricem τῆς ἰατρικῆς eamque ob causam dici: antequam Io in Aegyptum aduenisset, medicinam ibi ab Apide fuisse repertam. Tales enim eponymias equidem nusquam deprehendi neque ullo modo e Clementis uerbis id elici potest, quod Brusskernius uoluit. Quanquam non ignoro Ionem et Isidem, quae quidem medendi dea est, easdem perhiberi.

3) Αὐτόχθονα non necesse est interpretemur hominem ipsa e tellure oriundum, sed significat etiam indigenam uel incolam, cui aduena peregrinus opponatur: cf. Suid. s. αὐτόχθονες.

aut cum Epapho Ius filio; id quod saepe factum est: cf. de illo Clem. strom. I 21, 106, de hoc Herod. II 153 et Ael. nat. an. XI 10. Quod additamentum quanquam Clemens ipse adiungere potuit, tamen, quia ab Eusebio omittitur, lectori alicui docto recentioris aetatis adsigno, qui hac adnotatione adiecta consilio Clementis inseruire uoluerit.

Denique *αὐξάνειν* uerbum Clemens, si non in fonte tale quid legit (cf. Diod. V 74, 6), ipse eam ob causam usurpauit, ut inuentionis certe gloriam barbaro — Apidi dico — uindicaret. —

§ 15 „*Ἄτλας δὲ ὁ Λίβυς πρῶτος ναῦν ἐναυπηγήσατο καὶ τὴν θάλασσαν ἔπλευσεν.*" Testimonia frustra quaesiui. Nisi Atlas *Λίβυς* perhiberetur, heurema ex Platonica de Atlantide insula narratione esse deductum conicerem: diserte enim ibi (Plat. Crit. p. 113[e]) adnotatur: „*πλοῖα καὶ τὸ πλεῖν οὔπω τότ' ἦν*", dum Neptunus imperium conditum filiis, quorum maximus ac princeps fuit Atlas, tradiderat; deinde uero Atlante eiusque fratribus regnantibus res naualis egregie floruisse dicitur. Magis fortasse arridebit, quod Wachsmuthius mihi proposuit, nimirum ad coniecturam heurematici alicuius inuentum referendum esse, qua *Ἀτλαντικοῦ πελάγους* nomen ille explicare studuerit. —

§ 16 sq. „*Κέλμις τε αὖ καὶ Δαμναμενεὺς οἱ τῶν Ἰδαίων Δάκτυλοι πρῶτοι σίδηρον εὗρον ἐν Κύπρῳ, Δέλας δὲ ἄλλος Ἰδαῖος εὗρε χαλκοῦ κρᾶσιν, ὡς δὲ Ἡσίοδος, Σκύθης.*" Huic narrationi simillimus exstat locus apud Plin. n. h. VII 197: „aes conflare et temperare (= Clem. § 17) Aristoteles Lydum Scythen monstrasse, Theophrastus Delam Phrygem putant, ... ferrum (= Clem. § 16) Hesiodus in Creta eos, qui uocati sunt Dactyli Idaei." Eaedem enim res in utroque catalogo eisdem inuentoribus

adsignantur, in singulis uero nonnulla discrepant. Constat[1]) autem Plinium et Clementem inter alios auctores Stratone et Philostephano utrumque usum esse; atqui si de inuento quodam eadem uterque narrat, consentaneum est ex alterutro horum auctorum ea manauisse. Quoniam uero in ferri et aeris inuentione in uniuersum Plinius cum Clemente conspirat, suspicio oritur ea, quae discrepent, neglegentiae uel Plinii uel Clementis imputanda esse. Iam multo facilius Clementi putabis mendum inhaerere quam Plinio: quorum ille et aetate posterior est et ut in uniuersum neglegens in excerpendo, ita A corpusculum certe non ex ipsis auctorum libris descripsit. Ac mihi quidem Clemens cum Plinio hoc modo conciliari posse uidetur.

Primum de auctoribus laudatis quaeramus. Quod Clemens (§ 17[b]) ad Hesiodi, idem ad Aristotelis testimonium Plinius refert. Potuit quidem delibare Aristoteles inuentum Lydi Scythae[2]) ex Hesiodi carmine aliquo, si Hesiodus tale quid commemorauisset: ubinam uero hunc de Scythis egisse putemus? Contra cum Hesiodeum *περὶ Ἰδαίων Δακτύλων* carmen circumferri Suidas testetur, Plinio fidem habebimus Hesiodo auctore adlegato Dactylorum Id. inuentum quoddam prodenti. Idem autem Dactylorum inuentum Clemens (§ 16) auctore non nominato exhibet. Ergo conicere licebit in Clem. catalogo siue ipsius siue eius, qui A corpusculum conscripsit, errore ac neglegentia nomen Hesiodi auctoris in falsum locum esse delatum.

Accedit altera dissensio. Idem enim Dactylorum *εὕρ.* Clemens contendit factum esse in Cypro, in Creta

1) De Clementini A corpusculi fontibus cf. quae supra exposui, de Plinii auctoribus infra cap. VII agam.

2) Hoc apud alios scriptores nusquam legi, Scythas autem aere usos esse testatur Herod. IV 81 et I 215; Lydi uero nomen proprium uide ne corruptum sit.

Plinius. Inde cum Plinii quidem relatum alii auctores (uelut Diod. V 64, 5) probent neque ullo praeterea loco Dactyli Cypro insulae inferantur, iam Potterus de corrigenda apud Clem.[1]) scriptura cogitauit. At uerisimilius mihi uidetur sub *ἐν Κύπρῳ* scriptura uestigium latere, quo indicetur in primario Clem. fonte copiosiorem exhibitam fuisse narrationem de metallorum inuentoribus. Cyprus enim insula persaepe[2]) aeris feracissima laudatur, quin Plin. n. h. XXXIV 2 al. ibi „primam aeris inuentionem“ factam esse referunt; deinde Strabo XIV 2, 7 „(Telchines) *ἐλθεῖν*, ait, *ἐκ Κρήτης εἰς Κύπρον πρῶτον, εἶτ' εἰς Ῥόδον· πρώτους δ' ἐργάσασθαι σίδηρόν τε καὶ χαλκόν.*“ Quibus testimoniis efficitur in primario fonte Cypri mentionem potuisse fieri. Compilatoris igitur leuitate iudicabimus narrationem esse decurtatam atque ita confusam, ut Cypri nomen iniuria cum Dactylis coniungeretur.

Namque in aliis etiam apud Plinium et Clementem narratio fontium diuerso modo mutilata legitur. Celmis enim et Damnameneus, Dactylorum nomina, quae Clem. § 16 tradit, desiderantur apud Plinium; ab altera parte eum, qui apud Plin. Lydus Scythes audit, Clemens simpliciter *Σκύθην* appellat, quod nomen proprium intellexisse uidetur (cf. p. 30 adn. 2). Porro Delam, quod nomen praeter hos locos omnino non reperitur, Clemens *Ἰδαῖον*, Plinius Phrygem significat: quanquam in hoc quidem non haesitamus, tamen nescio an cui scrupulum moueat, quod altera narratiunculae parte — sicut modo inter nos conuenit — Idaei ferrum in Creta inuenisse dicuntur. At hoc catalogi frustulum (Clem. § 16) Hesiodo, illud uero

1) Apud Clem. iam olim exstitisse *ἐν Κύπρῳ* confirmat Eusebius.

2) Cf. Strab. III 4, 15; XIV 6, 5; Seru. Verg. Aen. III 111; Plin. compluribus locis.

(Clem. § 17[a]) Theophrasto [1]) deberi Plinius diserte adnotat. Unde facillime dissensio intellegitur, nam ab aliis Dactyli Idaei [2]) perhibentur esse Cretici, ab aliis Phryges; Clemens autem ipse eos modo antea (strom. I 15, 73) Phryges uocauit. Et hoc semper tenendum est catalogos et Plinii et Clementis congestis diuersis diuersorum auctorum sententiis esse compositos. —

§§ 18—20 „*καὶ μὴν Θρᾷκες πρῶτοι τὴν καλουμένην ἅρπην εὗρον — ἔστι δὲ μάχαιρα καμπύλη — καὶ πρῶτοι πέλταις ἐπὶ τῶν ἵππων ἐχρήσαντο. ὁμοίως δὲ καὶ Ἰλλύριοι τὴν καλουμένην πέλτην ἐξεῦρον.*“

§ 18, quanquam testimonia desunt, tamen satis confirmatur his locis: Artemid. II 32 „*εἰ μὲν Θρᾳκὶ πυκτεύοι τις, λήψεται γυναῖκα πλουσίαν καὶ πανοῦργον καὶ φιλόπρωτον· . . . . πανοῦργον δὲ διὰ τὸ μὴ ὀρθὸν ἔχειν τὸ ξίφος . . .*“; Corp. glossar. lat. ed. Loew. et Goetz. 1888 II p. 183 „sica *θρᾳκικὸν ξίφος ἐπικαμπές*“.

§ 19 sq. testimonia non indagaui; contra Thracibus potius inuenta ipsa *πέλτη* adscribenda fuisse uidetur, quia saepissime uel ipsa significatur Thracia, uel commemoratur, cum de Thracibus sermo est: Herod. VII 75; Eur. Alc. 498; fr. 369N; Aristoph. Lys. 563; Ach. 160D; Xen. mem. III 9, 2; Dion. ant. Rom. II 70; Hesych. s. *πέλτης*. Multa enim heuremata e gentiliciis adiectiuis deriuata sunt, quae apud poetas scriptoresque uetustiores nominibus rerum apposita legebantur, — cuius modi luculentum praebet exemplum Strabo XIV 2, 27 [3]) — et re uera non

---

1) Theophrasti nomen auctoris apud Clem. non esse adnotatum eo explicatur, quod ipse inter fontes A corpusculi fuit.

2) Cf. doctissimam Lobeckii disputationem: *Aglaoph.* p. 1156 sqq., unde etiam cetera de ferro a Dactylis inuento testimonia repetas quaeso.

3) Cf. Herod. I 171, 4; Plin. n. h. VII 200; Plut.

raro origo rei alicuius ac patria, unde primum prouenerit, gentilicio addito indicari solet, id quod non ignorauit Poll. VII 88. Itaque locis, quos modo laudaui, nisus heurematicus quidam a Thracibus πέλτην esse inuentam adfirmare potuit. Tamen memoriam mutare audacius est. —

§ 21 = Tat. § 11.

§ 22 „Ἰταλόν τε — Σαυνίτης οὗτος ἦν — πρῶτον θυρεὸν κατασκευάσαι." Test.: Athen. VI p. 273[f] „(Romani) παρὰ Σαυνιτῶν ἔμαθον θυρεοῦ χρῆσιν" cf. Sall. Cat. 51, 38. Itani uero, quae nominis forma cod. exhibetur, Samnitis nusquam fit mentio (Ἴτανος = oppidum Cretense), et quanquam ignotam quandam memoriam fortasse indicari infitiandum non est, tamen licebit de corruptela cogitare et lenissima commutatione Ἴτανον in notissimum nomen Italorum eponymi corrigere, id quod mihi suppeditauit Wachsmuthius. Dindorfii quidem coniectura, quam uetustioribus editoribus debuit, omni caret fundamento; Tritanni enim nomen, quod Samniticum fuisse Varronis (unde pendent Plinius et Solinus) [1]) testimonio probatur, intrudere uel eo uetamur, quod alphabetico indicis ordini nomen repugnat. —

§ 23 „Κάδμος γὰρ ὁ Φοῖνιξ λιθοτομίαν ἐξεῦρε . ." Idem ap. Plin. n. h. VII 195. — Eichholtzius p. 5 in γάρ particula offendit. At iniuria. Clemens enim a consuetudine sermonis Attici alienus in narratione maximeque in enumerandis singulis rebus γάρ particulam adhibere solet [2]) eodem fere sensu, quo δέ particulam. Conferas quaeso ed. Dindorf. I p. 44, 4; 51, 9; 70, 5; 72, 5; II p. 56, 24; 67, 10; 106, 4; 109, 1; 110, 22; 229, 5; 387, 10. 21; III p. 40, 12;

Artax. 10; Ael. nat. an. XII 30; Schol. Thuc. I 8; Schol. Hom. Θ 193.

1) De Lucilii autem loco cf. Marxium *Stud. Lucil.* 1882 p. 69.

2) Hiller *Herm.* XXI p. 131 n. 4 hoc rectissime animaduertit, exempla autem adferre supersedit.

148, 7. Itaque ne in § 27 quidem Dindorfius duos Eusebii codices Parisinos secutus *γάρ* in *δέ* particulam mutare debuit. Eandem habent uim etiam particulae *αὖ* (§§ 2. 5. 16), *ἔτι* (§ 21), *ἤδη δὲ καὶ* (§ 25), *ἀλλὰ καί* (§ 29); de aliis quibusdam coniunctionibus supra egi p. 22 sq. —

§ 24 „(idem) *καὶ μέταλλα χρυσοῦ τὰ περὶ τὸ Πάγγαιον ἐπενόησεν ὄρος*". Idem ap. Plin. n. h. VII 197 cf. Strab. XIV 5, 28 cl. Apollod. bibl. III 1, 1, 8 et Eustath. ad Dion. Per. 391. —

§ 25 „*ἤδη δὲ καὶ ἄλλο ἔθνος Καππάδοκες πρῶτοι εὗρον τὸν νάβλαν καλούμενον.*" Testimonia desunt. Strab. X 3, 17 nablam inter barbara instrumenta musica ponit; Athen. IV p. 175 autem propter Sopatri dictum quoddam eius inuentionem ad Phoenices defert. —

§ 26 „*ὃν τρόπον καὶ τὸ δίχορδον Ἀσσύριοι.*" De hac re apud alios scriptores nihil legi. —

§ 27 „*Καρχηδόνιοι γὰρ πρῶτοι τετρήρη κατεσκεύασαν, ἐναυπήγησε δὲ αὐτὴν Ἕσπερος αὐτόχθων.*" Plin. n. h. VII 207 „quadriremem Aristoteles Carthaginienses (primos fecisse auctor est)." Roseum, qui *Aristot. pseud.* p. 534 et apud Clem. et apud Plin. pro *Καρχηδονίοις* intellegendos esse contendit *Χαλκηδονίους*, Eichholtzius p. 26 rectissime refellit. Sed in *Βοσπόρου* nomine, quod traditur, mendum latere uidetur, quoniam tale hominis nomen neque legitur usquam neque per se probabile est. Itaque Bergkius (uid. Eichholtz.[1]) p. 27) corrigendum esse censuit *Βάσταρος*, nomen Carthaginiense. Propius autem ad ueritatem Wachsmuthium accessisse arbitror *Ἕσπερον* scribentem. Libyci enim indigenae nomen *αὐτόχθονος* uoce addita indicari uidetur, Hesperum uero alii filium, alii fratrem fuisse Atlan-

---

1) Violentissimam autem et plane improbabilem, quam Eichholtzius ipse p. 26 proposuit, coniecturam ne commemorari quidem opus est, quia ipse ei confisus non est.

tis Libyos ferunt: Diod. III. 60, 2 et IV 27, 1. Quo restituto hoc εὑρ. optime quadrat ad § 15. —

§ 28 „*Μήδειά τε ἡ Αἰήτου ἡ Κολχὶς πρώτη βαφὴν τριχῶν ἐπενόησεν.*" Mirum hoc εὑρ. ex insaniente eorum, qui pragmaticam siue historicam mythorum interpretationem exercebant, sapientia manauisse docet Palaeph. de incred. 44 p. 306 Westerm.: „*Περὶ Μηδείας φασὶν ὡς ἀνέψουσα τοὺς πρεσβύτας νέους ἐποίει. ἐγένετο δὲ τοιοῦτον. Μήδεια πρώτη τοιοῦτον ἄνθος εὗρε δυνάμενον καὶ τὰς λευκὰς τρίχας ποιῆσαι μελαίνας. τοὺς οὖν γέροντας ἐκ πολιῶν μελαίνας τρίχας ἔχοντας ἐποίει φαίνεσθαι. πυρίαν οὖν πρώτη Μήδεια ἐφεῦρεν. ἐπυρίαζε γὰρ τὰ σώματα οὐκ ἐν τῷ προφανεῖ, ἵνα μή τις μάθῃ τῶν ἰατρῶν, πυριῶσα δὲ ὅρκον μηδενὶ μηνύειν. ὄνομα δὲ ἦν τῷ πυριάματι παρέψησις. ὥσπερ οὖν κουφότεροι οἱ ἄνθρωποι καὶ ὑγιεινότεροι ἐγίνοντο πυριώμενοι. ἐκ δὴ τούτου ὁρῶντες τὴν παρασκευήν, λέβητας καὶ ξύλα καὶ πῦρ, ἐνόμισαν ὡς ἕψει τοὺς ἀνθρώπους. ὁ δὲ Πελίας, ἄνθρωπος γέρων καὶ ἀσθενής, πυριώμενος ἀπέθανεν.*" Totam exscripsi narrationem misellam, ut luculentissimo hoc exemplo istorum mythographorum modus interpretandi statim perspiciatur, quippe cui permulta inuenta noua debeantur. Quicumque enim pro deis solam rationem deam colebant — Euhemeristas dico et in primis *περὶ ἀπίστων* scriptores —, ita in fabulis explicandis uersabantur, ut quamuis incredibiles eas existimarent, aliquid tamen ueri eis subesse opinarentur, quod lenociniis poeticis detersis erroribusque hominum correctis ingenii acumini eliciendum esset. Inde cum miraculis uera eximere conati fabulas prorsus transmutauissent, non semel ad heuremata comminiscenda adducti sunt. Cuius modi exempla pauca breuiter adnotare non abs re esse uidetur, quoniam, quantum ad heurematographiam haec ratio contulerit, adhuc quaesitum non est. ‘Atlas astrologiam inuenit’: Plin. n. h. VII 203 cf. Heraclit. de incr·

4 et Diod. III 60, 2; 'Centauri primi ex equo pugnauerunt': Plin. n. h. VII 202 cf. Palaeph. de incr. 1 et Seru. Verg. ge. III 115; 'Midas primus *ὠτακουστάς* adhibuit': Conon. 1 p. 124 Westerm. et Schol. Plat. p. 928ᵇ 44 Turic.; 'Europa nauigio prima uecta est': Schol. Bern. Lucan. VI 400 [1]). —

§ 29 sq. „*ἀλλὰ καὶ Νώροπες — ἔθνος ἐστὶ Παιονικόν, νῦν δὲ Νωρικοὶ καλοῦνται — κατειργάσαντο χαλκὸν καὶ σίδηρον ἐκάθηραν πρῶτοι.*" Pro *Παιονικόν* nemo non uidet intellegendum esse *Παννονικόν*, crebro enim *Παίονες* et *Πάννονες* siue *Παννόνιοι* confunduntur cf. Forbigerum *Alt. Geogr. v. Europa* 1877 p. 337. *Νωρικοί* scripsi cum uulgata, cod. exhibetur *Νωρικόν*. — Notum est heurematographos simili modo atque e. g. aetiologiarum auctores non raro ad etymologiam confugisse, qua adhibita rerum inuentores expedirent. Neque quisquam infitias ibit profecto res inuentas saepius ab inuentoribus suis nomina traxisse, id quod exemplis adlatis iam Cleanthes ap. Athen. XI p. 471ᵇ [2]) animaduertit; praeterea iam multo ante heurematicorum tempora fabulis, quae in ore uulgi erant, inuentores eponymici effingi solebant, uelut *τὸ ἰαμβίζειν* ad *Ἰάμβην* quandam relatum est Hom. hymn. in Cer.

---

1) Hac occasione, cum de uia proposita deflexerim, etiam aliud quoddam *εὑρ.* proferre liceat, quod iis subministrare uelim, qui inter seria interdum ridere non fastidiant: Plin. n. h. VII 191 „Liber pater diadema, regium insigne, (inuenit)". Explicationem, quae inter *λύσεις* iocosas an sit numeranda nescio, praebet Diod. IV 4, 4 „*πρὸς δὲ τὰς ἐκ τοῦ πλεονάζοντος οἴνου κεφαλαλγίας τοῖς πίνουσι γινομένας διαδεδέσθαι λέγουσι* (Dionysum) *μίτρᾳ τὴν κεφαλήν, ἀφ' ἧς αἰτίας καὶ μιτρηφόρον ὀνομάζεσθαι· ἀπὸ δὲ ταύτης τῆς μίτρας ὕστερον παρὰ τοῖς βασιλεῦσι καταδειχθῆναι τὸ διάδημά φασι*" cf. Arr. ind. VII 9.

2) Cf. l. l. p. 467ᵉ; Poll. VII 89; Diod. XV 44; al.

202 sq. Iamuero heurematicorum studiis multa nomina noua conformata sunt, quibus inuentores rerum quarundam significarentur. Quo in numero sunt Sambyx: cf. supra p. 21; Cerasus: Hyg. fab. 274 § 1; Closter: Plin. n. h. VII 196 [1]). Atque ad hanc quidem rationem etiam heuremata, de quibus agitur, reuocanda esse uidentur. *Νώροπες* enim alibi non commemorantur, notissimum tamen est *νῶροψ* adiectiuum, quod apud Homerum cum *χαλκοῖ* uoce coniungi solet: *Β* 578; *Η* 206; *Λ* 16; *Ν* 406; *Ξ* 383; *Π* 130; *ω* 467. 500. Quod cum explicatu difficillimum esset, heurematographus uel grammaticus aliquis esse gentilicium coniecit, quo nomen inuentoris uel regio, unde *χαλκός* proueniret, indicaretur (cf. p. 32 sq.). Deinde ut epony-

1) Eius generis etymologiis offensus Eichholtzius p. 3 contendit post Aristotelis eiusque discipulorum aetatem studia heurematica magis magisque ita esse deprauata, ut *εὑρημάτων* aeque ac *θαυμασίων* scriptores mirificis narratiunculis ineptisque fabellis libros complerent; cuius modi opera etiam Gellium in animo habuisse, cum in praef. N. A. (§ 6) inter libros, qui „uariam et miscellam et quasi confusaneam" continerent doctrinam, *εὑρήματα* quoque commemoraret; porro, ut mutatam in deterius heurematographiam demonstret, Lobeckii (*Aglaoph.* p. 167) uerbis usus reprehendit, quod heurematici etiam earum rerum auctores nominatim tradiderunt, „quae cum ipsis fere hominibus natae sunt". Verumtamen omnia Eichholtzii argumenta cadunt. Primum enim eiusdem fere modi etymologiae iam apud Hesiodum reperiuntur: theog. 233 sqq.; fr. 77, al. (ed. G.-F.); et ne Aristoteles quidem talia respuit: fr. 464 R. Deinde Gellii locum perperam interpretatus est uir doctus; ille enim non agit nisi de libris conlectaneis, quibus memorabiles ac multifariae res uel ad antiquitates uel ad grammaticam pertinentes tractentur; nihil ergo inscriptionibus, quas Gellius recenset, cum studiis heurematicorum commune est. Adde quod illorum consilium ac rationem plane non intellexit Eichholtzius: id enim ipsum, quod exprobrauit, iam principes heurematicorum spectauerunt, sicut Theophrasti fragmentis demonstratur.

mico huic populo sedem prospiceret, cum Noricis composuit, quippe qui non solum soni similitudine quadam nominis, sed etiam metallorum feracitate ultro sese offerrent. Ferrum enim Noricum usitatissimum fuisse et praestantissimum aestimatum esse testantur Hor. carm. I 16, 9; Ou. met. XIV 711; Strab. V 1, 8; Plin. n. h. XXXIV 145. Simili autem modo *νῶροψ* de *Νώρακος* oppido Pannoniorum deriuauit Epaphroditus ap. Steph. s. *Νώρ.* —

§ 31 „*Ἄμυκός τε ὁ Βεβρύκων βασιλεὺς ἱμάντας πυκτικοὺς πρῶτος εὗρεν.*“ Idem apud Schol. Plat. p. 942[b] 14 Turic. Amycum iam apud uetustiores pugilandi laude floruisse testis est Plato leg. VII p. 796[a] cf. Apollod. bibl. I 9, 20. Heurema autem finxisse mihi uidetur heurematicus nescio quis ex loco quodam *Ἀργοναυτικῶν* carminis alicuius, uelut ex Apoll. Rh. II 57 sqq., ubi Amycus cum Polluce pugilaturus haec: „*δαεὶς δέ κεν ἄλλῳ ἐνίσποις, ὅσσον ἐγὼ ῥινούς τε βοῶν περί γ' εἰμὶ ταμέσθαι ἀζαλέας, ἀνδρῶν τε παρηίδας αἵματι φῦρσαι*“ (cf. Valer. Flacc. IV 250; Orph. Arg. 661). Nam si id ipsum apertis uerbis iam in uetustioribus *Ἀργον.* carminibus expressum fuisset, sine dubio ne Apollonius quidem occasionem praetermisisset Amycum laudandi inuentorem. Neque enim heurematici — ut rursus ad rationem eorum describendam digrediar — sola inuenta ipsa e libris uetustiorum auctorum excerpserunt (cf. supra p. 13 sq.), sed etiam, cuius rei inuentorem non reppererant traditum, per litteras indagare studebant, ubi primum memorata esset; et quem uel populum uel hominem antiquissimum istam rem adhibuisse siue exercuisse sibi persuaserant, eum temere inuentorem uenditare solebant. Hac ratione se quaestiones heurematicas instituisse ipse disertis uerbis confitetur Plin. n. h. XXXVI 47, atque hac quidem uia *εὑρετῶν* gloriam nancti sunt Nausicaa: Athen. I p. 14[d]; Theseus: Plin. n. h. VII 202 cf. Plut. Thes. 29, 9; Argonautarum nonnulli aliique. Ita-

que iure meo Amyci quoque inuentum eidem classi adscripsisse mihi uideor. —

§ 32 „περί τε μουσικὴν Ὄλυμπος ὁ Μυσὸς τὴν Λύδιον ἁρμονίαν ἐφιλοτέχνησεν.“ Hanc fuisse Aristoxeni sententiam Plut. de mus. 15, 3 docet, quanquam accurate non distinxit, quemnam Olympum, seniorem an iuniorem, Phrygem an Mysum, ille in mente habuerit. —

§ 33 „οἵ τε Τρωγλοδύται καλούμενοι σαμβύκην εὗρον, ὄργανον μουσικόν.“ Euphor. ap. Athen. XIV p. 633f de sambuca: „χρῆσθαι αὐτῷ Πάρθους καὶ Τρωγλοδύτας τετραχόρδῳ ὄντι“; Aristox. ap. Athen. IV p. 182f et Strab. X 3, 17 eam inter barbara instrumenta numerant. —

§ 34 „φασὶ δὲ καὶ τὴν πλαγίαν σύριγγα Σάτυρον εὑρεῖν τὸν Φρύγα.“ Unum testimonum exstat in Crameri An. Ox. IV p. 400, ubi inter alia heurematica (cf. infra cap. VIII) hic traditur catalogus ad artem musicam pertinens: „10 Μουσικὴν καὶ 11 παιδείαν Μοῦσαι· 12 λύραν καὶ 13 σύριγγα πολυκάλαμον Ἑρμῆς· 14 σύριγγα πλαγίαν[1]) Σάτυρος Φρύξ· 15 αὐλοὺς Ἀθηνᾶ· 16 τρίχορδον καὶ 17 τὴν ἐναρμονίαν (?) Ὕαγνις Φρύξ· 18 κρούματα Ὄλυμπος Μυσός· 19 ᾠδὴν πρὸς κιθάραν Λῖνος· 20 ὕμνους πρῶτος Στησίχορος Ἱμεραῖος.“ Ac mirandum quidem in modum hoc frustulum cum ea Clementini catalogi particula consentit, qua εὕρ. de quo agimus continetur et quam in A corpusculum esse intrusam supra intelleximus. Omnes enim Crameriani indicis inuentores barbari (§§ 14. 16 sq. 18) eodem ordine hoc Clementini catalogi loco (§§ 34—37) recensentur; praeterea extremum illius εὕρ. apud Clem. in altera capitis parte legitur: § 54. Putaueris igitur utramque memoriam redire ad eundem auctorem, tamen exstant discrepantiae quaedam scrupulum mouentes, de quibus ad §§ q. s. agemus. —

1) Correxi pro πλατεῖαν.

§ 35 sq. „⟨τρίχορδον δὲ ὁμοίως καὶ τὴν διάτονον ἁρμονίαν Ἄγνιν τὸν καὶ αὐτὸν Φρύγα⟩". Totum enuntiatum, quod librarius Clementis homoeoteleuto inductus omisit, ex Eusebio suppletum est. Ἄγνις nominis formam, quam Scaliger in Ὕαγνις commutauit, retinendam esse admonuit Studemundius *Ann. inst. arch. Germ.* V 1890 p. 3. — Unus et huius loci testis est Anonymus, cuius uerba modo transscripsi, ita tamen, ut non solum Ὕαγνις formam, sed etiam pro Clementinis „τὴν διάτονον ἁρμονίαν" exhibeat „τὴν ἐναρμονίαν". In hac autem scriptura non dubito quin mendum lateat. Primum enim ἡ ἐναρμονία substantiuum nusquam legitur; deinde cum τὸ διάτονον et τὸ ἐναρμόνιον inter se differant — nam tria sunt modulationum genera: diatonicum, chromaticum, enharmonium [1]) —, utrumque genus ad eundem inuentorem relatum esse uix crediderim, quamuis diuersae saepe heurematicorum sententiae inter se fuerint [2]). Tamen quominus Clementem et Anonymum corrigendo concordes faciamus, impedit etiam alia, quae accedit, dissensio. Praeterea quomodo corruptela apud Anon. sananda sit, diiudicare non audeam, quoniam ex τὴν ἐναρμονίαν facilius uidetur restituere τὸ ἐναρμόνιον quam τὴν διάτονον ἁρμονίαν. —

§ 37 „κρούματα δὲ Ὄλυμπον ὁμοίως τὸν Φρύγα". Plut. de mus. 5: „Ἀλέξανδρος δ' ἐν τῇ συναγωγῇ τῶν περὶ Φρυγίας κρούματα Ὄλυμπον ἔφη πρῶτον εἰς τοὺς Ἕλληνας κομίσαι", ex inscriptione igitur libri conicere licet ab Alexandro Olympum perhibitum esse Phrygem. Mysum uero eundem appellant inuento quidem confirmato Suid. s. Ὄλυμπ., Schol. Plat. p. 925, 22 Turic., itemque Anon. Cramer. (§ 18). Itaque facere non possumus, quin Cle-

---

1) Cf. Macrob. somn. Scip. II 4, 13; Vitruu. V 4, 3.
2) Aristox. ap. Plut. de mus. 11, 1 τὸ ἐναρμόνιον γένος Olympo adsignauit.

mentem et Anonymum ex diuersis fontibus hausissse arbitremur, quamuis similes sint eorum narrationes. De patria Olympi cf. supra p. 12. —

§§ 38—40 „*καθάπερ Φρύγιον ἁρμονίαν καὶ μιξοφρύγιον καὶ μιξολύδιον Μαρσύαν, τῆς αὐτῆς ὄντα τοῖς προειρημένοις χώρας.*“ §§ 38 et 40 comprobat Schol. Plat. l. modo l.; § 38 etiam Plin. n. h. VII 204; § 39 alibi non legi. —

§ 41 „*καὶ τὴν Δώριον Θάμυριν ἐπινοῆσαι τὸν Θρᾷκα.*“ Plin. n. h. VII 204 „Dorios (modulos) Thamyras Thrax“, uariat enim nominis forma cf. Suid. s. *Θάμυρις ἢ Θαμύρας.* —

§§ 42—44 „*Πέρσας τε πρώτους ἀκηκόαμεν ἀπήνην καὶ κλίνην καὶ ὑποπόδιον ἐργάσασθαι.*“ De his Persarum inuentis nihil legi nec scio an ad mollitiem luxuriamque Persarum notissimam pertineant; huc saltem spectat aliud eorum *εὕρ.*: Athen. II p. 48[c] „*Πρῶτοι δὲ Πέρσαι, ὥς φησιν Ἡρακλείδης, καὶ τοὺς λεγομένους στρῶτας ἐφεῦρον, ἵνα κόσμον ἔχῃ ἡ στρῶσις καὶ εὐάφειαν.*“ —

§ 45 „*τούς τε Σιδωνίους τρίκροτον ναῦν κατασκευάσαι.*“ Non dubium est, quin *τρίκροτος* hoc loco idem significet quod *τριήρης*; eam enim notionem, quam *μονόκροτος* et *δίκροτος* adiectiuorum propriam fuisse Breusingius [1]) docuit, recentioribus temporibus seuere obseruare uidentur desiisse grammatici et quicumque rem nauticam ignorabant (cf. Bekkeri An. Gr. p. 240, 9 et Aristid. 43 p. 798D), ita ut *τριήρης* et *τρίκροτος* promiscue usurparentur. Quanquam testimonia frustra quaesiui, nihil offensionis huic inuento inesse existimo. Sidon enim caput est Phoenicum, quos

---

1) *Loesung des Trierenraetsels.* 1889 p. 108. Quanquam non defuerant, qui Xen. Hell. II 1, 28 recte interpretarentur (cf. Sturzii Lexic. Xen. I p. 743), tamen Breusingium laudare malui, quippe qui rerum nauticarum peritus notitiam triremis nostram nuperrime correxerit.

artium naualium peritissimos fuisse inter omnes scriptores constat; heuremata quoque naualia eis adscribunt Herod. VII 99; Diod. V 20; Strab. XVI 2, 24; I 1, 6; Plin. n. h. V 67; VII 208; Athen. VI p. 273e. —

§ 46 sq. „*Σικελοί τε οἱ πρὸς τῇ Ἰταλίᾳ πρῶτοι φόρμιγγα εὗρον οὐ πολὺ τῆς κιθάρας λειπομένην καὶ κρόταλα ἐπενόησαν.*“ Testimonia non repperi. —

§ 48 „*ἐπί τε Σεμιράμεως βασιλίδος Ἀσσυρίων τὰ βύσσινα ἱμάτια εὑρῆσθαι ἱστοροῦσιν.*“ *Ἀσσυρίων* pro *Αἰγυπτίων*, quod traditur, inepto nomine Vigerus ad Euseb. p. 476 iam emendauit ex Eusebio nec uideo, cur Dindorfius emendationem respuerit. Antiqui quid *βύσσου* nomine significauerint, incertissimum est, et ut illi diuersas res confuderunt, ita nostrae aetatis uiri docti de hac re inter se discrepant. Inuentum autem, quod testimoniis confirmare frustra studui, nescio an ad illam fabulam spectet, qua Semiramis excogitauisse fertur Persicum uestitum, quippe quo sexum dissimulare uellet: Diod. II 6; Iustin. I 2, 3; id quod simili modo de Atossa et de Medea traditur cf. supra p. 15 cum adn. 1. —

§ 49 „*καὶ πρώτην ἐπιστολὰς συντάξαι Ἄτοσσαν τὴν Περσῶν βασιλεύσασάν φησιν Ἑλλάνικος*“ = Tat. § 17. —

Singulis pertractatis summam subducamus. Clementinorum *εὑρημάτων* maior pars testimoniis litterarum confirmatur [1]), sunt autem nonnulla, quorum nusquam apud

---

1) Id quidem non curo, num quid fortasse ueri singulis heurematis insit, sed hoc tantum specto, ut quae deperditis heurematicorum libris restituenda sint perspiciam. Quoniam autem constat heurematum pleraque uel ex poetarum, mythographorum, paradoxographorum figmentis hausta uel ex rationibus aperte falsis nata esse, primum de eorum fide omnino dubitabimus; quae historicis debentur, heuremata cum in uniuersum melioris notae sint, tamen de unoquoque pro indole et scriptoris et loci quaestio instituenda est, id quod aliis concedo.

Graecos Romanosue, quorum libri aetatem tulerunt, mentio fiat, neque ulla data est ansa nomina indagandi auctorum, quos Clemens ipse consuluerit. Tota uero catalogi indoles sine dubio perinde ac Tatianei catalogi studia heurematicorum sapit. Sed pergamus!

Caput tertium.

Tatiano enim et Clementi tertius adiungendus est Gregorius Nazianzenus, qui oratione in Iulianum inuectiua priore Apostatam, quod Christianos humanioribus litteris studere uetuisset, grauissime increpans cum alia tum haec fere eloquitur: ʻomnes res non illorum tantummodo sunt, qui eas inuenerunt, sed omnium, quicumque earum sunt participes; atque aliorum inuenta in proprium usum conuertere unicuique licet.ʼ Deinde non paucas res enarrat, quibus Iulianus et Romani, quamuis eas peregrinis uel populis uel hominibus deberent, cotidie uti consueuissent. Apparet igitur Gregorii consilium paululum abhorrere a ceterorum Christianorum studio, atque Gregorio, quippe qui Romanos impugnaret, Graecos quoque inuentores nominare licuisse, cum Tatianus et Clemens Graecorum sapientiam irridentes inuenta non protulerint nisi barbarorum.

Narrationem autem Gregorii, quo facilius perspiciamus, ornamentis rhetoricis detersis in formam catalogi redactam exhibebo.

Gregor. Naz. or. IV 107—109, ed. Mign. uol. I p. 641 sqq.

1 *τὰ γράμματα* inuenerunt Phoenices aut Aegyptii aut Hebraei. 2 *τὸ πεττεύειν*, 3 *τὸ ἀριθμεῖν*, 4 *τὸ λογίζεσθαι*

δακτύλοις, 5 *τὰ μέτρα*, 6 *τὰ σταθμά*, 7 *τὰ τακτικὰ καὶ πολεμικά* Palamedes Euboicus. 8 *τὴν ποίησιν* anus quaedam. 9 *τὸ χαλκεύειν* Cyclopes. 10 *τὴν ἁλουργίδα* Tyrii. 11 *τὴν γεωργίαν* et 12 *τὴν ναυπηγίαν* Athenienses. 13 *τὸ μυεῖσθαι* Thraces. 14 *τὸ θύειν* Chaldaei aut Cyprii. 15 *τὸ ἀστρονομεῖν* Babylonii. 16 *τὸ γεωμετρεῖν* Aegyptii. 17 *τὸ μαγειρεύειν* Persae. 18 *τὴν δι' ὀνείρων μαντικήν* Telmesenses. 19 *τὴν οἰωνιστικήν* Phryges.

Iam singula percenseamus! Atque in § 1, in qua Gregorius a reliquorum Christianorum catalogis dissidens inter litterarum inuentores Aegyptios quoque numerat, non modo alios multos, sed Platonem (Phaedr. p. 274^{c}) ipsum testem habet. Ea autem, quae de Hebraeorum nomine et legum tabula (cf. Euseb. pr. eu. X 5, 2) catalogo inseruit, ad eius ipsius penum doctrinae Christianae referenda sunt.

§§ 2—7 Palamedis inuenta saepissime commemorantur, cuncta [1]) comprehenduntur ap. Gorg. Palam. 30 cf. Alcidam. Odyss. 22; Plin. n. h. VII 198 et 202; Philostr. her. 10 p. 176 sqq. Kays.; Schol. Eur. Or. 432 [2]). — Num iam

---

1) Quartae quidem § testimonium frustra quaesiui, sed *τὸ λογίζεσθαι δακτύλοις* cum numerandi arte, quae praecedit, adeo cognatum est, ut in eo non offendamus: cf. Plat. reip. VII p. 522; Phaedr. p. 274^{c}. — De inuentis Palamedis doctissime disputauit Iahnius *Palam.* 1836 p. 23 sqq.

2) Quaeritur, quid iudicandum sit de eis, quae scholiastae (Nonn. Abb. I 62 sqq.) ad Gregorii catalogum illustrandum proferunt. Quanquam nonnulla ex ipsa auctoris narratione deriuata esse uidentur, maior tamen pars eorum e peculiaribus fontibus fluxit. Inuentorum uero conlectione non esse usum scholiastam arbitror, immo inter alios fontes libro aliquo de diuinatione composito, quo diuinationis partes, inuentores, scriptores consignati fuerint. Haec ad *εὑρημάτων* catalogum scholia fere omnia Suidas in usum suum conuertit (de necessitudine, quae Suidam inter et Nonni qui dicitur historias intercedit, cf. Patzigium l. [supra p. 9 adn. 2] l. p. 23); tamen

epici cycli poetae Palamedis inuenta narrauerint, e reliquiis eorum non liquet, sed per se uerisimile est [1]), tragicos autem Palamedem sapientem atque inuentorem praedicauisse constat: TGF [2] fr. adesp. 470; Soph. fr. 438; Eur. fr. 578. — Ipsa uero haec, quae Nazianzenus profert, inuenta quin e fonte aliquo heurematico descripta sint, uix dubitem. Rerum mythicarum certe scriptores et ii, qui fabularum *ὑποθέσεις* enarrabant, tantum de inuidia Ulixis et de morte Palamedis egisse neque uero heuremata eius commemorauisse uidentur: cf. Hyg. fab. 105. —

§ 8 De anu illa furibunda, cuius „facit indignatio uersum", ita ut homines artem poeticam doceat, apud alios [2]) scriptores nihil legi. Itaque uerba ipsa transscribam: „*Σὰ τὰ ποιήματα;* — in Iulianum inuehitur Gregorius — *τί δέ; οὐ τῆς γραὸς μᾶλλον ἐκείνης, ἣ τὸν ὦμον σεισθεῖσα παρά τινος συντόνως ἀντιπαριόντος, ὡς λόγος, εἶτ' ἐνυβρίζουσα τῷ σφοδρῷ τῆς ὁρμῆς ἔπος ἐφθέγξατο· καὶ τοῦτ' ἀρέσαν τῷ νεανίᾳ λίαν καὶ φιλοπονώτερον μετρηθὲν τὴν θαυμασίαν σου ταύτην ἐδημιούργησε ποίησιν;*" [3]) —

§ 10 ʻPurpurae usum Tyriis canis pastoralis monstrauit.ʼ Tyriam purpuram notissimam fuisse testantur Plin. n. h. V 76; IX 127; Strab. XVI 2, 23. Fabellam autem, quam Gregorius tetigit, eodem fere modo adumbrat Cassiod. uar. I 2 (cf. infra cap. VI), aliquanto fusius enarrat Nonn. Abb. I 66 (schol. ad l.); idem argumentum ad Herculem Tyrum nympham amantem transfert Poll. I 45—47; ad Herculem

---

pro Nonnianis scholiis compluriens Suidam adlegaui, quia huius opus magis praesto est. Mox autem prodituram esse editionem a Patzigio promissam speramus.

1) Cf. Welckerum *Ztschrft. f. d. Alt.-Wiss.* 1834 p. 55.

2) Scholium huius loci (Nonn. I 64) nihil nisi *αὐτοσχεδίασμα* esse apparet.

3) Aliquid saltem heurematicae huic fabulae simile inest illi, quam de Anacreonte narrat Max. Tyr. 27, 2.

philosophum Tyrium Chronic. paschal. p. 161ᶜ Migu., ubi Palaephatus laudatur. —

§ 11 'Agriculturam incoharunt Athenienses.' Cerere, Triptolemo, serpentibus, Celeo nominatis Gregorius mythi deae Eleusiniae admonet (cf. or. 39, 4 p. 337ᵇ); res est tritissima et saepissime Cereri uel Triptolemo agricultura inuenta attribuitur (cf. Hyg. § 34 sq.). Icarii uerum nomine addito sine dubio uini εὕρ. significatur. Hic enim homines usum uini a Baccho accepti docuisse fertur: cf. Eratosth. ap. Schol. Hom. X 29; Apollod. bibl. III 14, 7; al.; ipsum uini repertorem appellant Propert. II 33, 27 et Schol. Hom. Σ 483 Townl. Γεωργίας igitur heurema, quod hac § Atheniensibus adsignatur, non solum ad artem arandi agrum et fruges serendi, sed simul ad uini usum uitiumque culturam referendum est, unde Gregorium duo heuremata uno illo nomine comprehendisse efficiatur. —

§ 12 'ναυπηγία Atheniensibus debetur.' Naues ab Atheniensibus primis exstructas esse praeterea neminem uidi adseuerantem; iam scholiasta (Nonn. I 67) coniecit Gregorium „λέγειν περὶ τῆς ναυμαχικῆς τέχνης· ναύμαχοι κατ' ἄκρον Ἀθηναῖοι· ναῦν γὰρ λέγονται πρῶτοι Φοίνικες ναυπηγῆσαι· τριήρη δὲ ἡ Σεμίραμις". Nec scio an Nazianzenus in fonte legerit certum quoddam in re nautica inuentum Atheniensibus adscribi — uelut in Pliniano catalogo (VII 209) hippegos, harpagones, manus a Pericle Atheniensi inuenta dicuntur —, nisi forte hoc εὕρ. suo ipsius periculo coniectauerit. —

§ 13 'τὸ μυεῖσθαι καὶ τὸ μυεῖν καὶ τὸ θρησκεύειν Thraces docuerunt, sicut etymologia euincitur.' cf. ad Tat. § 10. Orphei nomen Gregorius hoc quidem loco omissum adnotauit or. 39, 5 p. 340ᵇ, ubi idem εὕρ. iterauit. Etymologiam eandem uenditant Plut. Alex. 2, 5 et Schol. Eur. Alc. 968. —

§ 14 'τὸ θύειν Chaldaei uel Cyprii.' θυτική substan-

tiuum, quod Tat. § 4 et Clem. § 8 exhibent, noster e sua uoluntate uidetur mutauisse in *θύειν* infinitiuum [1]), ut membra narrationis concinna redderet. a) Chaldaeos iam Herod. I 181 et 183 sacerdotes inducit ac Diod. II 29 eorum diuinationis studium doctrinamque describens eos refert uaticinia facere „*καθαρμοῖς*, *θυσίαις*, *ἄλλαις τισὶν ἐπῳδαῖς*", quibus uerbis adiungit: „*οὐκ ἀσόφως δὲ ποιοῦνται καὶ τὰ περὶ τὴν ἱεροσκοπίαν*". — b) De Cypriis cf. ad Tat. § 4. —

Ceteras autem paragraphos iisdem fere uerbis iam legimus apud Tatianum: Gregor. § 9 = Tat. § 16; G. 15 = T. 5; G. 16 = T. 7; G. 17 = T. 6; G. 18 = T. 1; G. 19 = T. 3, nisi quod Greg. in fine Isaurorum nomen omisit.

Iamuero quoniam Tatiani Clementis Gregorii catalogis permulta esse communia cognouimus, hos tres catalogos accuratius inter se comparemus.

Ac primum quidem facile intellegitur G r e g o r i u m, quamuis similes atque Tatianus et Clemens proferat res, tamen neutrius narrationem in usum suum conuertisse. C l e m e n t i s certe catalogum non adhibuit. Neque enim solum undecim Gregorii inuenta (§§ 2—8. 10 sq. 13. 17) desunt apud illum, sed etiam compluribus locis Nazianzeni et Alexandri narrationes magis minusue uariantur; conferas uelim Gregor. § 1 cum Clem. § 13; G. 9 cum Cl. 29; G. 12 cum Cl. 15; G. 14 cum Cl. 8; G. 15 cum Cl. 1. Tres restant Gregorii narratiunculae (§§ 18. 19. 16), quae e Clementino catalogo (§§ 10. 7. 5) fluere potuerint.

Itemque ex T a t i a n o Gregorium hausisse quominus

1) Scholiasta uero (Nonn. I 70), qui ad hunc locum interpretandum nihil fere noui attulit, *θύειν* infinitiuum non aruspicinam diuinationem, sed artem sacrificandi intellexit, addidit enim *θεοῖς*, quo de inuento uid. ad Hyg. § 12 (infra in cap. VI.).

statuamus, certis causis impedimur. Etsi enim sex Gregorii heuremata ita cum Tatianeo catalogo congruunt (cf. p. 47), ut ex hoc esse transscripta uideantur, tamen primum Greg. §§ 2—7 et 10—12 omnino apud Tat. desiderantur; deinde Gregoriana narratio §§ 1. 13. 14 copiosior est quam Tatianea §§ 8. 10. 4; tum Greg. § 8 quanquam non contraria, tamen diuersa est a Tat. § 9. Sequitur ergo, ut Gregorius non Tatianum consuluerit; uerumtamen, cum adeo inter se consentiant catalogi, utrumque ex eodem libro excerptum esse statuemus.

Quaenam uero necessitudo intercedit inter Clementis et Tatiani catalogos? Primo quidem obtutu conieceris [1]) Clementem ex eis, quae A corpusculo immiscuit, heurematis nonnulla Tatiano debuisse, conspirant enim Clem. §§ 10. 6. 5. 21. 12. 11. 49 cum Tat. §§ 1. 2. 7. 11. 13. 15. 17. At in §§ 7 + 9 et § 13 Clemens eis, quae cum Tat. § 3 et § 8 congruentia profert, noua quaedam addit [2]), unde rursus communis fontis suspicio oritur.

Tatianus igitur et Clemens et Gregorius unum eundemque fontem usurpauerunt, ex quo suo quisque inductus arbitrio nonnulla delibavit.

Agedum certius determinemus prouinciam huius fontis, cui B litteram inscribere liceat. Ac T a t i a n u m quidem in tam parua operis parte plus uno fonte inspexisse probabile non est: itaque ne §§ 9. 12. 14 quidem B corpusculo abiudicabimus, quanquam et a Clemente et a Gregorio omissae sunt.

Deinde C l e m e n t i n a perlustremus. Horum e farragine ad B corpusculum pertinent §§ 6—13 [3]), quas inter

1) Ita quidem senserunt inde a Pottero complures uiri docti, quos enumerare longum est.

2) De Clem. § 8 cf. supra p. 24 sq.

3) Patet sane alphabetico Clementis catalogo nihil commune esse cum Tatianea narratione nisi § 5 *῾Αἰγύπτιοι*

se conexas post Aegyptiorum heuremata (§§ 1—5) a Clemente non imprudenti insertas esse supra p. 18 demonstraui, et praeterea duae particulae dissipatae: § 21 = Tat. § 11 et § 49 = Tat. § 17. Quoniam autem cum § 49 arte cohaeret § 48 et utriusque paragraphi natura similitudinem quandam prodit (48 de Semirami Assyriorum, 49 de Atossa Persarum regina), § 48 non esse segregandam arbitror. Denique etiam § 31 (Amycus inuenit *ἱμάντας*) eidem fonti adscribo, ut eae tantum paragraphi restent, quae ad artem musicam spectant.

Hae autem ea ipsa re, quod non modo pari conlocatione, sed etiam pari argumento consociantur atque idoneo catalogi alphabetici loco insertae sunt (cf. p. 18), in uno eodemque agello se effloruisse enuntiant: §§ 33—41. Nec uero ad eundem auctorem redire caput, quod his §§ efficitur, atque B corpusculum ei, opinor, probabitur, qui secum reputabit in B Olympo et Marsyae alia quaedam inuenta adsignari atque in isto, conferas enim Clementis § 12 cum §§ 37—40. Paragraphum uero 26, quam et ipsam huc spectare facile cognoscitur, a Clemente separatam et peculiari loco positam esse haud ita mirum est. Nam ordinem fontis mutare compilatorum est non solum consuetudo, sed etiam studium. Indagauimus igitur in Clementino catalogo tertium corpusculum, quod C littera insigniamus.

γεωμετρίαν' = Tat. § 7 = Greg. § 16. Quod *εὕρ.* cum artissime cohaereat cum §§ 1—4 alphabetici catalogi, in utroque Clementis fonte (A et B) narratum fuisse uidetur. — Ad quem uero fontem additamentum ad § 1 adiectum reuocem, haesito; legitur enim § 1 „*Αἰγύπτιοι — ἀστρολογίαν, ὁμοίως δὲ καὶ Χαλδαῖοι*“: fortasse Clemens ipse hoc finxit ex ea narratione, quam legerat in B fonte: Tat. § 5 „*ἀστρονομεῖν Βαβυλώνιοι*“ = Greg. § 15; non sine causa enim omisit *τὸ ἀστρονομεῖν*, quia § 1 *ἀστρολογίαν* et § 6 *τὴν δι' ἀστέρων πρόγνωσιν* exhibuerat.

Transeo ad Gregorium, cuius quanta catalogi pars ad B fontem releganda sit, diiudicatu difficillimum est. Tamen praeter §§ 9 et 13—19 sine ulla haesitatione ei addico § 1 (cf. Tat. § 8, Clem. § 13), quam quidem sua admixta doctrina theologus auxit. Neque ulla causa cogimur ab eodem corpusculo ceteras particulas (§§ 2—8 et 10—12) segregare. Quae si omnia mecum faciens B corpusculo concesseris, intelleges scriptorem, quem Tatianus et Clemens consuluerunt, nequaquam fuisse hominem Graecis inimicum, sed istos potius ea tantum elegisse, quae consilio eorum inseruirent.

His rationibus subductis Clementem tribus fontibus usum esse elucere existimo, ex quibus B corpusculum ante annum p. Chr. 166 compositum — nam hoc fere anno Tatiani oratio scripta esse uidetur — usque ad alteram saeculi quarti partem durauit. Atque A et B quidem catalogos e libris heurematicis manauisse supra p. 16 et 20 sqq. demonstrasse mihi uideor; de C corpusculo autem dubitari potest, quia omnia, quae ei dedimus, heuremata ad musicam artem unam spectant.

Caput quartum.

Redeo nunc ad Clementis *Stromatum* libri primi caput XVI, cuius de altera parte ut agamus superest. Hanc quidem Brusskernius et Eichholtzius omnino praeterierunt ac uetustiores quoque editores interpretesque locos heurematicos componentes solam priorem capitis partem adnotauerunt. Disiunguntur enim ambae partes non modo auctorum indice, de quo supra disputaui, sed etiam copiosa digressione quadam. Deinde consilium alterius partis diuersum est a priore. Namque quoniam priore a

barbaris Graecos omnia didicisse demonstrauit, Clemens iam id agit, ut Graecos sero demum ad studium doctrinae, artes, mores legesque accessisse ostendat; Graecos igitur inuentores recenset. Atque secundum argumenta heurematum distinguuntur haec capita (Dind. p. 66, 4—67, 21):

1) §§ 50. 51: qui primi scriptos ediderint libros. „*καὶ μὴν ὀψέ ποτε εἰς Ἕλληνας ἡ τῶν λόγων παρῆλθε διδασκαλία τε καὶ γραφή. Ἀλκμαίων γοῦν Περίθου Κροτωνιάτης πρῶτος φυσικὸν λόγον συνέταξεν. οἱ δὲ Ἀναξαγόραν Ἡγησιβούλου Κλαζομένιον πρῶτον συγγραφῆς ἐκδοῖναι βιβλίον ἱστοροῦσιν.*“ Eadem narrat Laert. Diog. VIII 5, 1 (83) et II 3, 8 (11) (quo ex loco apud Clem. pro *διὰ γραφῆς* correxi *συγγραφῆς* Menagio monente) ac prius quidem *εὕρ.* se ex Fauorini *παντοδαπῇ ἱστορίᾳ* delibauisse Laertius l. l. diserte profitetur, alterum uero eidem auctori debuisse uidetur, cum l. l. antecedenti enuntiato, quo item *εὕρ.* continetur, eundem excitet. De Clementis autem fonte infra agam. —

2) §§ 52—62: qui primi singula poeseos et musicae genera exercuerint. „52 *μέλος τε αὖ πρῶτος περιέθηκε τοῖς ποιήμασι καὶ τοὺς Λακεδαιμονίων νόμους ἐμελοποίησε Τέρπανδρος ὁ Ἀντισσαῖος,* 53 *διθύραμβον δὲ ἐπενόησεν Λᾶσος Ἑρμιονεύς,* 54 *ὕμνον Στησίχορος Ἱμεραῖος,* 55 *χορείαν Ἀλκμὰν Λακεδαιμόνιος,* 56 *τὰ ἐρωτικὰ Ἀνακρέων Τήιος,* 57 *ὑπόρχησιν Πίνδαρος Θηβαῖος,* 58 *νόμους τε πρῶτος ᾖσεν ἐν χορῷ καὶ κιθάρᾳ Τιμόθεος ὁ Μιλήσιος.* 59 *καὶ μὴν ἴαμβον μὲν ἐπενόησεν Ἀρχίλοχος ὁ Πάριος,* 60 *χωλὸν δὲ ἴαμβον Ἱππῶναξ ὁ Ἐφέσιος,* 61 *καὶ τραγῳδίαν μὲν Θέσπις ὁ Ἀθηναῖος,* 62 *κωμῳδίαν δὲ Σουσαρίων ὁ Ἰκαριεύς.*“

Hoc cum capite tres potissimum memorias contuli. Atque iis quidem, quae Suidas refert, comparatis efficitur hoc: quater Clementina narratio magis minusue a

Suida confirmatur, quamuis nusquam plane eadem legantur: § 52 cf. Suid. s. u. *Τέρπανδρος*; § 53 cf. u. *Λᾶσος*; § 60 cf. u. *Ἱππῶναξ*; § 61 cf. u. *Θέσπις*; ter ea, quae Suid. tradit, abhorrent a Clementinis: § 54 cf. u. *Στησίχορος*; § 55 (cf. § 56) cf. u. *Ἀλκμάν*; § 58 cf. u. *Τιμόθεος*; ceteris autem quattuor Clementis inuentoribus Suidas nullum attribuit inuentum. — Deinde Proclus in *Chrestom.* testatur § 52 cf. 13 p. 349 Gaisf. et § 59 cf. 7 p. 346; dissentit uero cum §§ 53 et 57: cf. 12 p. 348; neque Hipponacti (§ 60) inuentum ullum adsignat: 7 p. 346, 17. — Tum Plutarchus in libro *περὶ μουσικῆς* scripto comprobat § 52: cf. 3, 9 (ubi Heraclides Pont. laudatur); 9, 1; 42, 1; — § 53: cf. 29, 3; — § 59: cf. 28, 3; praeterea autem nihil apud Plutarchum reperitur, quod ad Clementina spectet.

Intellegimus ergo Clementem fonte usum esse, qui memoriam a tribus illis auctoribus diuersam praeberet. Alia autem testimonia praetermitto, ut quibus conlatis nihil discatur.

Adiecit Clemens adnotationem (p. 66, 18—21), qua tempora *εὑρετῶν*, quos modo nominauit, accurate describenda negat, quoniam Bacchum ipsum, cuius ad honorem Dionysia instituta sint, Mose posteriorem esse statim demonstraturus sit; quibus uerbis lectorem ablegat ad I 21, 105. —

3) §§ 63—67: inuenta quae ad rhetoricam et grammaticam pertinent. §§ 63—65 „*φασὶ δὲ καὶ τοὺς κατὰ διατριβὴν λόγους καὶ τὰ ῥητορικὰ ἰδιώματα εὑρεῖν καὶ μισθοῦ συνηγορῆσαι πρῶτον δικανικὸν λόγον εἰς ἔκδοσιν γραψάμενον Ἀντιφῶντα Σωφίλου Ῥαμνούσιον, ὥς φησι Διόδωρος.*“ Testimonia repetas, quaeso, ex Antiphontis editione Blassiana (1871) p. XIX sqq.; de Diodoro autem teste adlato cf. Diodori Sic. editionis Dindorfianae uol. V (1868) p. 189.

§§ 66 sq. „Ἀπολλόδωρος δὲ ὁ Κυμαῖος πρῶτος τοῦ ⟨γραμματικοῦ ἀντὶ τοῦ⟩ κριτικοῦ εἰσηγήσατο τοὔνομα καὶ γραμματικὸς προσηγορεύθη. ἔνιοι δὲ Ἐρατοσθένη τὸν Κυρηναῖόν φασιν, ἐπειδὴ ἐξέδωκεν οὗτος βιβλία δύο, γραμματικὰ ἐπιγράψας· ὠνομάσθη δὲ γραμματικός, ὡς νῦν ὀνομάζομεν, πρῶτος Πραξιφάνης Διονυσοφάνους Μυτιληναῖος."

§ 66ᵃ lucem adfert Theodosius, Dionysii Thr. scholiasta (Prelleri *Aufsaetze* p. 88): „Τὸ πρότερον δὲ (ἡ γραμματική) κριτικὴ ἐλέγετο καὶ οἱ ταύτην μετιόντες κριτικοί. Αὐτόδωρος δέ τις Κυμαῖος συγγραψάμενος Λέξιν ἐπέγραψεν· Αὐτοδώρου γραμματικοῦ Λέξεις, καὶ ἐκ τούτου ποτὲ ἡ κριτικὴ καὶ γραμματικὴ λέλεκται καὶ γραμματικοὶ οἱ ταύτην μετιόντες." Quo loco eundem hominem significari atque apud. Clem. iam Burmannus *Valesii Emendat. et De crit.* 1740 p. 146 adn. coniecit, uariis enim modis corrupta nominis forma in diuersis cod. fluctuat (cf. Preller. l. l. adn. 11) et Clementis quidem scripturam testatur Theodorus Prod. cf. infra p. 63. Mutilatum autem Clem. textum ex scholio l. Meier[1]) suppleuit. De Apollodoro Cum. nihil certi scimus.

§ 66ᵇ fidem adiungere uidetur Suidas, qui s. u. Ἐρατοσθένης operum eius recensum hisce uerbis concludit: „... περὶ ἀλυπίας, διαλόγους καὶ γραμματικὰ συχνά." Rectissime tamen Bernhardyus *Eratosth.* 1822 p. X monuit Eratosthenem non peculiari opere de grammatica disputauisse, quam ob causam coniecit in narratione Clementis

---

1) MHEMeier *Opusc. acad.* ed. Eckstein. et Haase. II 1863 p. 19 n. 54 (cf. p. 22 n. 80); quod autem sequentia corrigere uoluit „ἔνιοι δὲ Ἐρατοσθένη τὸν Κυρηναῖόν φασιν, ἐπειδὴ ἐξέδωκεν οὗτος βιβλία δύο, γραμματικὰ ἐπιγράψας ⟨ὠνομάσθαι οὕτως πρῶτον⟩", non probo; nam additamentum plane superfluum est, cum ex antecedenti enuntiato unusquisque facillime suppleat „γραμματικὸν προσαγορευθῆναι".

errorem latere ac fortasse Cyrenensem intellegendum esse potius **Callimachum**, ut quem Apollodorus apud Strab. I 2, 37 grammatici appellatione diserta perstrinxisset. Et cum Eratosthenem primum **philologi** cognomen sibi uindicauisse Suetonius de gram. 10 tradiderit, nescio an suspicari liceat siue apud auctorem Clementis siue in illius fonte scriptum exstitisse fere hoc: '**grammaticum** primum audiisse aut Apollodorum Cumanum aut Callimachum Cyrenensem, secundum recentiorum uero consuetudinem Praxiphanem; **philologum** autem primum appellatum esse Eratosthenem Cyrenensem', quam narrationem compilator confuderit.

§ 67: cf. Preller. l. l. p. 94—112. — De toto autem loco (§ 66 sq.) cf. Lehrsium *Herod. scripta tria* p. 398. —

4) § 68: de primis legumlatoribus Graecis. „*Ζάλευκός τε ὁ Λοκρὸς πρῶτος ἱστόρηται νόμους θέσθαι, οἱ δὲ Μίνω τὸν Διὸς ἐπὶ Λυγκέως. οὗτος μετὰ Δαναὶν γίνεται ἑνδεκάτῃ ἄνωθεν ἀπὸ Ἰνάχου καὶ Μωυσέως γενεᾷ, ὡς ὀλίγον ὑποβάντες δείξομεν* (I 21, 103. 106). *Λυκοῦργος δὲ μετὰ πολλὰ τῆς Ἰλίου ἁλώσεως γεγονὼς ἔτη πρὸ τῶν ὀλυμπιάδων ἔτεσιν ἑκατὸν πεντήκοντα νομοθετεῖ Λακεδαιμονίοις* (cf. I 21, 119). *Σόλωνος γὰρ τοὺς χρόνους προειρήκαμεν* (I 14, 65 cf. I 21, 107). *Δράκων δὲ ὁ καὶ αὐτὸς νομοθέτης περὶ τὴν τριακοστὴν καὶ ἐνάτην ὀλυμπιάδα γεγονὼς εὑρίσκεται.*" Hi aliique legumlatores plurimis locis commemorantur, copiosiorem eorum indicem exhibet e. g. Theodoret. therap. IX 7—12, et Clem. ipse compluriens eorum mentionem fecit, uelut str. I 26, 170.

Deinde adnotat Clemens, quot annos Antilochus „*ι τοὺς ἵστορας πραγματευσάμενος*" inde a Pythagorae aetate usque ad Epicuri mortem (l. 16 *δέ* dittographia delenda est) computauerit. Antilochi opus prorsus interiit, nomen eius ut historici adfertur apud Dionys. Hal. de comp. uerb. 4 p. 66 (ed. Schaefer 1808, cuius cf. adn.). Hoc uero

enuntiatum quo conexu cohaereat cum iis, et quae antecedunt et quae secuntur, equidem non prorsus intellego. Fortasse hac adnotatione monere uoluit Clemens, etiam philosophiam totam Graecorum esse recentem; nam I 14, 61, postquam de septem sapientibus narrauit, „*ὀψὲ δέ*, ait, *Πυθαγόρας .... φιλόσοφον ἑαυτὸν πρῶτος ἀνηγόρευσεν*“ (quae fuit Heraclidis Pont. sententia: Cic. Tusc. V 3, 8 sq.; Diog. La. prooem. 8 (12)). Dolendum sane est, quod compilator in excerpendo tam parcus fuit. —

5) Denique § 69 sq. tres feminae inuentrices recensentur. „*ἔτι φασὶ τὸ ἡρῷον τὸ ἑξάμετρον Φανοθέαν τὴν γυναῖκα Ἰκαρίου, οἱ δὲ Θέμιν μίαν τῶν Τιτανίδων εὑρεῖν. Δίδυμος δ' ἐν τῷ Περὶ Πυθαγορικῆς φιλοσοφίας Θεανὼ τὴν Κροτωνιᾶτιν πρώτην γυναικῶν φιλοσοφῆσαι καὶ ποιήματα γράψαι ἱστορεῖ.*“ Haec *εὑρ.* alio loco non leguntur. De Didymo in testimonium uocato cf. Schmidtium *Did. Chalc. fr.* 1854 p. 380 sq. —

De altera catalogi parte, quam modo perlustrauimus, iudicare eo difficilius est, quod Clemens ad argumentum res elegit (cf. initium narrationis p. 66, 4), ita ut de origine non heurematica cogitare possimus. Fontium, quos ipse consuluerit, nec uola nec uestigium nobis quidem apparuit; qui auctores §§ 63—65 et 70 narrauerint, Clemens adnotauit, sed num ipse ex eorum quos laudauit libris hauserit, existimari nequit. Sunt autem in hac quoque catalogi parte nonnulla *εὑρετῶν* nomina, quae secundum litterarum seriem enumerentur: nimirum § 50 Alcmaeo, § 51 Anaxagoras, § 63 sqq. Antipho, § 66 Apollodorus. Unde sequi uidetur has particulas A corpusculo adsignandas esse; id quod etiam alia ratiocinatione quodammodo probatur.

Ex Fauorini enim *παντοδ. ἱστ.* Diogenes, sicut supra adnotaui, eadem, quae Clem. §§ 50 et 51 narrat, mutuatus est — quanquam concedo de fonte alterius inuenti

apud Diog. dubitari posse —; porro in eodem libro ea tractata erant, quae Clementis § 66 sq. continentur: nam Gellio teste, quem XIV 6 Fauorini *Omnig. hist.* argumentum describere Nietzscheus *Mus. Rhen.* XXIII 1868 p. 643 sqq. docuit, in hoc opere inter alia narratum exstitit: „quo nomine fuisset, qui primus grammaticus appellatus esset". Fauorinum uero num Clemens adhibuerit, ignoramus; immo nomen eius ne uno quidem Clementis loco commemoratur. Sed Fauorinum heuremata, quae data opera et peculiari *παντ. ἱστ.* parte enarrauerit, e Philostephani *π. εὑρ.* libro repetiuisse Nietzscheo auctore probabile uidetur esse. Philostephanus autem est inter auctores A corpusculi. Consensu igitur Clementis et Fauorini uerisimile fit inuenta de quibus quaerimus ad A fontem pertinere. Et optime quidem ad Philostephanum, peripateticum et Alexandrinum quadrat, quod Praxiphanes peripateticus § 67 atque ⟨Callimachus et⟩ Eratosthenes § 66 nominantur (ad Alexandrinum certo auctorem hae §§ propterea reuocandae sunt, quod Pergameni omittuntur, cf. Preller. l. l. p. 102). Tamen neglegendum non est trium primorum *εὑρετῶν* seriem (Alcmaeonem dico, Anaxagoram, Antiphontem; de Apollodori enim aetate nihil scimus) temporum quoque rationi obtemperare, ac uel magis offendimus in Diodoro excitato (§ 63 sqq.). Primum enim prosae orationis scriptorem laudari abhorret ab eis, quae supra p. 20 sq. de A corpusculi indole constituisse nobis uidemur; alterum Diodori laudati aetas scrupulum mouet, nam intellegendus esse uidetur Diodorus Valerius, qui *ἐξήγησιν τῶν ζητουμένων παρὰ τοῖς ι' ῥήτορσιν* composuerat, Hadriani aequalis; quo quattuor illi heurematici, quorum e libris A corpusculum consutum fuit, multo uetustiores sunt, nisi forte Scamonem, cuius de aetate nihil adhuc constat — Sittelio enim *Gesch. d. griech. Litt.* II p. 363 uix quisquam credet — in tam recentem aetatem detrudere uolueris.

Itaque si his scrupulis abiectis §§ 63—65 A fonti attribuerimus, necessario conligendum erit enchiridium post Hadriani demum aetatem conscriptum esse et praeter ea, quae ex quattuor illis heurematicis excerpta erant, etiam additamenta ex aliis quibusdam auctoribus repetita praebuisse. At quaecumque de fonte §§ 50 sq. et 63—67 disserui, incertissima sunt.

Sed utut res se habet, ceteris quae narrantur §§ certa capita efficiuntur. Ac primo quidem obtutu elucet heuremata §§ 52—62, ut quae cunctae ad artem poeticam et musicam spectent, inter se esse conectenda. Quod caput propter argumenti similitudinem cum C corpusculo coniungere uelim, praesertim cum Anonymi excerpto supra ad Clem. § 34 adlato, quod C corpusculo simillimum est, etiam huius capitis heurema unum saltem — dico § 54 — contineatur.

Denique §§ 68 et 69 sq., quae restant, si quis ad B fontem relegabit, equidem non impugnabo; feminae quidem inuentrices § 69 sq. non inepte coniungentur cum § 48 sq.; atque hoc certe apparet § 69 sq. ex alio fonte manauisse atque §§ 52—62: alioquin § 69 (hexameter) componenda erat cum § 59 sq. (cum iambo). Quod autem ad § 68 attinet, Clemens fortasse Zaleucum et Minoem solos in fonte heurematico — si quidem ex eiusmodi libro hanc narratiunculam delibauit — primos legumlatores nominatos repperit, ceteros uero tres e sua cognitione addidisse uidetur, quo certius fulciret, quod demonstrandum sibi proposuerat.

Prolatis quae de origine narrationis Clementinae intellegere potueram concedo non solum C corpusculum, sed etiam cetera alterius catalogi inuenta ex aliis quibuslibet libris potuisse excerpi, quanquam mihi quidem uerisimillimum est Clementem omnia e tribus enchiridiis heurematicis congessisse praeter pauca quaedam fortasse, quae ex aliis conlectaneis adiecerit. Spero autem doctiorem uirum, qui non modo de reliquiis studiorum heurematicorum,

sed in uniuersum de fontibus Clementis disputauerit, quaestionem nostram ad certiorem finem adducturum esse.

Caput quintum.

Largam, quam Clemens Alexandrinus congesserat, materiem compilatores quidam lucri fecerunt.

§ 1.

Ac primus quidem Eusebius Caesariensis, ut alia multa a Clemente mutuatus est, ita totum eius catalogum barbarorum inuentorum *Praeparationis euang.* libro X inseruit. Sed quanquam ipse X 6, 15 „*ταῦτα*, inquit, *ῥήμασιν αὐτοῖς ὁ Κλήμης ἐν Στρωματεῦσι*“, tamen licentia compilatorum usus ordinem plane mutauit. Voluit enim una cum heurematum enarratione proferre etiam disputatiunculam de alphabetis Hebraico et Graeco ex alio aliquo fonte deriuatam, ut qua eodem consilio Graecorum doctrinam barbaris deberi comprobaretur. Atque cum intellexisset eam propter argumenti similitudinem apte coniungi cum Clementis § 13, cum litteris inuentis, tamen non ignorauit ea interposita male interruptum iri heurematici catalogi tenorem. Itaque Clementis §§ 13—15 ex indicis serie desumptas initio locauit et postquam X 4, 33 quaestionem instituit his uerbis: „*ἐκεῖνα . . . πρῶτον δίελθε, δι᾽ ὧν Ἕλληνες τὰ πάντα σεσυληκέναι βαρβάρους οὐ μόνα τὰ φιλόσοφα μαθήματα, ἀλλὰ καὶ τὰς κοινὰς καὶ βιωφελεῖς εὑρέσεις ἀπελέγχονται*“, primum Clem. § 13 [1]) paululum mutatam una cum illo de litteris excursu transscripsit; deinde X 5, 12 hisce uerbis: „*ταῦτα μὲν οὖν μοι περὶ τῶν πρώτων στοιχείων εἰρήσθω. τῆς δ᾽ αὐτῆς ἡμῖν ὑποθέ-*

---

1) Hoc quia Eichholtzium fugit, nodum in scirpo quaesiuit: p. 4—8.

σεως ἐφαψάμενος καὶ ὁ Κλήμης ἐπάκουσον ἅ φησιν" ad propositum reuersus Clem. §§ 14[1]) et 15 exhibuit; tum ab initio Clem. catalogi repetitam § 1 protulit, huic autem propter argumenti similitudinem (cf. supra p. 18) non inepte adnexuit § 6 una cum §§ 7—12. Quibus particulis descriptis adductisque eis, quae solae restabant: §§ 2—5, cetera omnia inde a § 16 iusto ordine in chartas suas transtulit.

Eichholtzius (p. 4—8) cum compilatorum consuetudines ignorasset, desudauit in ea re, ut Clementino, non Eusebiano textu genuinum catalogi ordinem tradi demonstraret: ipse se operam et oleum perdidisse intellexisset, si e. g. Diodori Sic. locos ab Eusebio excerptos cum ipsius Diodori narratione contulisset. Accuratissime autem de ratione, quam Eusebius secutus sit in compilandis transscribendisque fontibus, Freudenthalius disputauit *Hellenist. Stud.* I 1875 p. 3—16.

§ 2.

Deinde Clementinum catalogum depeculatus est saeculo V circiter medio Theodoretus episcopus Cyrensis. Qui *θεραπευτικῆς* libri initio iterum easdem fere, quas Tatianus Clemens Eusebius, sententias persecutus in heuremata enarranda incidit.

Graecar. affect. cur. I 19 p. 6, 50 sqq. S (ed. Gaisford.):

---

1) Itaque Eichholtzio ne in *δέ* particula quidem initio disputationis posita offendendum erat (p. 8); de ceteris coniunctionibus, quae ei (p. 5) scrupulum mouerunt, supra egi ad. Clem. § 23. Ab altera autem parte contra Eichholtzii sententiam hoc moneo: Clementis ordinem ab Eusebio non inscio commutatum esse ea re euincitur, quod hic pro *γοῦν* particula, qua ille catalogum suum aptissime instituerat, ipse rectissime supposuit *καὶ* — *δέ*, quoniam primum Clementis *εὕρ.* de loco mouerat: p. 548, 21 Dind.

„1 Γεωμετρίαν μὲν γὰρ καὶ 2 ἀστρονομίαν Αἰγυπτίους πρώτους εὑρηκέναι φασίν· 3 ἀστρολογία δὲ καὶ γενεθλιαλογία Χαλδαίων εὕρημα λέγεται. 4 Ἄραβες δὲ καὶ Φρύγες οἰωνοσκοπικὴν ἐπενόησαν πρῶτοι· ὅτι δὲ καὶ 5 ἡ σάλπιγξ Τυρρηνῶν ἐστιν ἔργον, καὶ 6 αὐλοὶ Φρυγῶν, διδάσκουσι μὲν αἱ τραγῳδίαι, διδάσκουσι δὲ μετὰ τούτων αἱ ἱστορίαι. Καὶ 7 τὰ γράμματα δὲ Φοίνικας εὑρηκέναι λογοποιοῦσιν οἱ Ἕλληνες, καὶ τὸν Κάδμον ταῦτα πρῶτον εἰς τὴν Ἑλλάδα κομίσαι. 8 ἰατρικῆς δὲ ἄρξαι τὸν Ἆπίν φασι τὸν Αἰγύπτιον, εἶτα τὸν Ἀσκληπιὸν αὐξῆσαι τὴν τέχνην. 9 σκάφος δὲ πρῶτον ἐν Λιβύῃ ναυπηγηθῆναι λέγουσιν."

Hanc narrationem e Clementis thesauro delibatam esse facillime demonstratur [1]). Theodoreti enim §§ 5—9 prorsus congruunt cum Clementis §§ 11—15 atque ita quidem, ut, ubi uerba non eadem leguntur, apud Theodoretum res contractae sint. Verba autem § 5 sq.: „ὅτι . . . ., διδάσκουσι μὲν αἱ τραγῳδίαι, διδάσκουσι δὲ μετὰ τούτων αἱ ἱστορίαι", quamuis singularis doctrinae speciem prae se ferant, tamen a Theodoreto ipso ostentationis gratia esse adiecta in propatulo est, praesertim cum ille eadem uerba saepius adhibuerit formulae cuiusdam uice: I 14; I 21; III 23; (X 41).

Deinde Theodoreti § prima Clementis § 5 exprimit. Sed §§ 2 et 3 a Clem. catalogo adeo discrepant, ut γενεθλιαλογίας aut apud Clementem aut similibus illis ceterorum Christianorum locis omnino non fiat mentio. Attamen contendere nullus dubito ad neminem nisi ad Theodoretum ipsum hanc discrepantiam esse referendam, quippe qui ea quae legerat emendare uoluerit. Nam ut ea melius disponeret, quae Clem. § 1 comprehenduntur: „Αἰγύπτιοι . . . ἀστρολογίαν, ὁμοίως δὲ καὶ Χαλδαῖοι", ipse Aegyptiis

1) Iam Potterus ad Clem. str. I 16 p. 362 Clementem fuisse Theodoreti fontem animaduertit.

siderum et caeli dimetiendi rationem ac studium, i. e. ἀστρονομίαν, Chaldaeis [1]) uero praedicendi genus attribuit atque ut errores euitaret — notum enim est astronomiae et astrologiae uoces eadem fere notione promiscue usurpatas esse — ἀστρολογίας notionem γενεθλιαλογίᾳ addita definiuit.

Maior autem discrepantia unicuique uidebitur inesse in § 4. Clemens enim de eadem materia duabus §§ agens narrat § 7 „Φρύγες — πτήσεις ὀρνίθων παρεφυλάξαντο πρῶτοι“ et § 9 „Ἴσαυροι καὶ Ἄραβες ἐξεπόνησαν τὴν οἰωνιστικήν“, at cum diuersas hac de re exstare memorias nulla adnotatione monuerit (id quod fecit § 6, cf. § 1), ipse sensisse non uidetur se bis idem εὑρ. enumerare. Quod cum perspexisset Theodoretus, utramque paragraphum complexus et Isaurorum nomen in hac re ignotissimum omisit et οἰωνοσκοπικῆς nomen accuratissimum substituit [2]).

At dixeris fortasse e communi utrumque fonte potuisse haurire. Sed ueri dissimillimum est Theodoretum ad conscribendam tam paruam operis partem peculiarem fontem adiisse, cum materies parata iam esset apud eundem auctorem, ex quo plurima repetebat. Permulta enim eorum, quae in Theodoreti θεραπευτικῇ leguntur, e Clementis *Stromatibus* fluxisse in promptu est ac plane eadem, quam hic instituit, ratione cum alios tum hos locos compilauit: Theod. XII 73 p. 175, 52 — p. 176, 11 ex Clem. str. IV 19, 120 sq.; Theod. XI 6—8 p. 152, 18—45 ex Clem. str. II 21, 127 et 130.

---

1) Sufficiet admonuisse a Romanis eos, qui mathematicae addicti erant, non solum mathematicos uel astrologos, sed etiam Chaldaeos uocatos esse.

2) Theodorus Prodr., de quo statim agam, eandem Clementis narrationem compilatam hoc modo expressit: p. 553, 25 „Κᾶρες δὲ τὴν διὰ τῶν ἄστρων πρόγνωσιν καὶ Φρύγες τὴν ὀρνιθοσκοπίαν καὶ τὴν ὀνειροκριτικὴν Τελμισεῖς.“

Deinde quanquam larga Clementis copia multo minorem *εὑρημάτων* numerum ille protulit, tamen — una re excepta — eundem ordinem seruauit[1]). Quin eam causam, qua inductus in §§ 1 et 2 a Clem. ordine discesserit, manifestam habebimus, cum reputauerimus Theodoretum, ut Aegyptiorum heuremata cuncta — sicut Clemens fecerat — in initio conlocaret, *γεωμετρίαν*, quam ille loco quinto exhibuerat, in primum locum transferre coactum esse, quoniam Aegyptiorum astronomiae opposuerat Chaldaeorum *ἀστρολογίαν καὶ γενεθλιαλογίαν*.

Denique cum complures particulae, quas Clemens ipse e duobus diuersis fontibus deriuatas coniunxerat, apud Theod. eodem ordine conectantur, facere non possumus, quin Theodoretum catalogo Clementis usum esse arbitremur.

§ 3.

Vel in XII saeculum descendere opus est, nam agmen eorum, qui Clementinum catalogum compilauerunt, claudit Theodorus Prodromus. In laudatione[2]) enim, cui inscribitur „*Περὶ τῆς γλώττης τοῦ Ὀρφανοτρόφου καὶ Νομοφύλακος, κυροῦ Ἀλεξίου τοῦ Ἀριστηνοῦ*“, ut linguam esse optimum praestantissimumque corporis humani membrum demonstret, inflato orationis genere exponit, quantum linguae homines debuerint, et quot artes disciplinaeque per linguam doceantur atque exerceantur. Huius autem argumentationis

---

1) Inde simul luculenter efficitur Theodoretum sua non ex Eusebio hausisse, cui quidem alia multa debet: nam eum in catalogo Eusebii transscribendo forte fortuna atque inscientem ad Clementis ordinem res disposuisse propter nimiam catalogorum ordinis dissensionem ab omni probabilitate abhorret.

2) Edidit hanc declamationem inter alia Prodromi opuscula FIGLa Porte-du-Theil *Notices et extraits des manuscrits de la bibliothèque nationale* uol. VI p. 552—558.

instrumenta pleraque fonte, ex quo hausisset, non patefacto ex heurematico Clementis armamentario mutuatus est. Sed cum molestum sit res ipsas recoquere, numeros paragraphorum Clementinarum recensere et sola notatu digna transscribere satis habeo.

Excerpsit igitur haec: p. 553, l. 24 sqq. ex Clem. §§ 5, 6, 7, 10, 14; — l. 28 „*φυσιολογίαν δὲ Ἀλκαίων* (sic) *ὁ Περίθου*“ ex Clem. § 50; l. 29 „*γραμματικὴν ὁ Μύκηθεν* (sic) *Ἀπολλόδωρος*“ ex Clem. § 66; secuntur p. 553, l. 29—33 pauca de philosophorum scholarum auctoribus, quae, nisi forte tritissimas has res memoria tenebat, ex eodem Clem. libro desumere ei licuit: strom. I 14, 62—64.

Deinde, postquam aliquantulum nugatus est, his uerbis ad heuremata redit: p. 554, 32 „*Γλυκεῖα μὲν καὶ ἡ Τυρρηνῶν γλῶσσα, τὴν σάλπιγγα πρώτως ἐπινοήσασα*“, quae ei subministrauit Clem. § 11. Nec praetermittenda sunt, quae his adnectit, cum eis luculentissime compilatoris neglegentia illustretur: „*καλὴ δέ*, ait, *καὶ ἡ Φρυγῶν προαυλήσασα* (Clem. § 12), *ἥ τε Ἀσσυρίων ἐξευραμένη τὸ δίχορδον* (§ 26), *καὶ ἡ Μυσῶν τὴν Λύδιον ἁρμονίαν* (§ 32), *καὶ τὴν φόρμιγγα ἡ Σικελική* (§ 46), *καὶ τὴν κιθάραν ἡ Μιλησία* — (Clem. § 58 exhibet: „*νόμους τε πρῶτος ᾖσεν ἐν χορῷ καὶ κιθάρᾳ Τιμόθεος ὁ Μιλήσιος*“) — *ἵνα μὴ τὸν Στησιχόρου ὕμνον* (§ 54), *καὶ τὴν Ἱμεραίου χορείαν, καὶ τὴν ὑπόρχησιν Ἀνακρέοντος τῷ λόγῳ παρεισκυκλῶ.*“ Ex his duo, quae postremo loco nominantur, inuenta uerbis Clementis confusis falsoque interpunctis ipse finxit, nam ille haec scribit: §§ 54 sqq. „*ὕμνον Στησίχορος Ἱμεραῖος, — χορείαν Ἀλκμὰν Λακεδαιμόνιος, τὰ ἐρωτικὰ Ἀνακρέων Τήϊος, — ὑπόρχησιν Πίνδαρος Θηβαῖος, —.*“ Denique quae non multo post addit: p. 555, 10 sqq. „*ἀρίθμει τοὺς αὐλοὺς Ὀλύμπου καὶ Τιμοθέου καὶ Ἀρίωνος τὴν κιθάραν καὶ τὴν Μαρσύου μιξοφρύγιον ἁρμονίαν καὶ τὴν Θαμύριδος Δώριον*“ desumpta sunt e Clementis §§ 12, 58, 39, 41;

solum Arionis [1]) nomen ipse ex suo adiecit, nam de Arione, quae narrabantur, fabulas se non ignorare docet p. 556, 13 sq., ubi eum per delphinos seruatum significat.

Igitur luce clarius est Theodoro librum Alexandrini ad manum fuisse. Quidnam? nonne pari modo et ex priore catalogo et ex altero capitis dimidio nonnulla repetiuit? nonne rebus illis, quas ostendi, summa cum neglegentia implicatis ipse apertissima edit indicia, quibus monstretur, unde hauserit? Huc accedit argumentum non parui, opinor, pretii. In eadem enim declamatione ex eodem Clementis libro, quo heuremata continentur (Clem. strom. I 10, 48) scriptoris nomine non diutius abdito ea desumpsit, quae p. 556, 17 sqq. laudat [2]).

Caput sextum.

Aliam heurematicorum studiorum memoriam et reliquias debemus Hygino et Cassiodorio.

Atque quod Hygini nomine inscriptum circumfertur enchiridium mythologicum, eius parte tertia indices rerum memorabilium continentur, quae non solum ad mythologiam, sed etiam ad historiam et geographiam spectant. Reperiuntur autem inter eos catalogi *εὑρημάτων* duo: fab. 274 et

---

1) Arionis aliud quoque inuentum compertum habuit: p. 525 l. 2 „*μέτρον δὲ ὁ διθύραμβος, ἐν Κορίνθῳ μὲν εὑρημένον ὑπὸ Ἀρίωνος τοῦ Μηθύμνηθεν, κτλ.*"

2) Mirum est, quod editorem, quanquam hunc Clementis locum adnotauit, tamen fugit ex hoc ipso fonte magnam Theodori eruditionis illius partem manasse, quam ipse admiratur et cuius in orginem ut inquirant uiri docti, commendat: cf. praef. p. 549 et 551.

277 [1]). Quorum singulas primum narratiunculas pertractabo [2]), deinde in indolem eorum apprime singularem inquiram.

Hyg. fab. 274.

§ 1 „. . . nomine Cerasus uinum cum Acheloo flumine in Aetolia miscuit, unde miscere *κεράσαι* est dictum.“ Capitis initium mutilatum est. Cerasi eponymi alibi non fit mentio, rectissime autem Knaackius p. 593 monuit *Κεράωνος* herois, quem apud Lacedaemonios colebant, qui miscendo uino ministrabant, cf. Athen. IV p. 173f; II p. 39c [3]). „flumine in Aetolia“ uerba, quae glossatoris esse Eichholtzius p. 12 putauit, secludere nolim neque „Acheloum“ ex poetarum more pro aqua usurpatum intellegere; immo eum, qui hoc εὕρ. finxit, de Acheloi ipsius aqua cogitauisse

1) Etiam aliis tribus capitibus similia narrantur: fab. 225 „Qui primi templa deorum constituerunt“; fab. 273„ Qui primi ludos fecerunt usque ad Aeneam quintum decimum“; fab. 275 „Oppida qui quae condiderunt.“ Tamen haec nunc mitto, quia ex aliis fontibus manasse uidentur.

2) Adiuuerunt me haec subsidia: *Auctor. mythogr. lat.* ed. Staueren. 1734; *Hyg. fab.* ed. Bunte. 1856 et ed. M. Schmidt. 1872; — O. Schneideri *Callim.* II 1873 p. 50 sq.; Bursiani *Zu Hygin.: Annal. philol.* 93 (1866) p. 782 sq.; Knaackii *Studien zu Hyg.: Herm.* XVI 1881 p. 585—601. — Textus recensionem secutus Schmidtianam de eis tantum uerba faciam, de quibus aliter sensi.

3) Bursianus p. 782 n. 40 dubitanter quidem coniecit apud Mythogr. Vat. I 87 (ed. Bod.), ubi uinum ab Oenei regis pastore inuentum traditur, „Orista“ nomen pastoris corruptum esse ex „Cerasta“: at „Orista“ scriptura ex „Ouista“ mendo orta esse uidetur, quod legitur in scholio ad Verg. ge. I 8 cod. Leidensi 135 (Burmanni G: cf. Thilo *Seru. in Verg. Buc. et Ge. comm.* p. III) seruato. „Ouista filius“ autem corruptela haud dubie effecta est uerbis Vergilii explicandis cum scholii initio permixtis: „poculaque inuentis Acheloia miscuit uuis. Staphylus . . . .“ Cf. Prob. et Seru. ad Verg. l. l.

5

eo uerisimile fit, quod saepius uini εὑρ. Aetoliae infertur: cf. Hecat. ap. Athen. II p. 35[b]; Apoll. bibl. I 8, 1; Schol. Verg. ge. I 8; Lactant. ad Stat. theb. I 453. In primo autem excerptorum, quae tenemus, fonte εὑρ. haud dubie fusius expositum fuit, quae genuina narrationis forma restitui nequit. —

§ 2 „antiqui autem nostri in lectis tricliniaribus in fulcris capita asellorum uite alligata habuerunt significantes ⟨eos⟩ suauitatem ⟨uini⟩ inuenisse." Vexatissimus est locus uariisque modis eum sanare studuerunt uiri docti. Reinesius extrema uerba ut corrigeret, coniecit „asinum uitem inuenisse". Idem autem sensus leniore commutatione restituetur, si ⟨eos⟩ et ⟨uini⟩ uel, si malueris, ⟨uitis⟩ uerba supplebuntur, quae illis locis facillime delitescere potuisse nemo non uidet. Alibi εὑρ. non legi, sed apud Comment. ad Verg. ge. I 8 idem capellae adsignatur, et Pausania II 38, 3 teste Nauplienses narrabant se ab asino palmites praerodente uites putandi artem didicisse. — Maxime autem memorabile est initium narratiunculae ab heurematicorum quidem catalogorum indole prorsus abhorrens; atque quod ab antiquo quodam more ansa capitur εὑρήματος commemorandi, id magis ad libros, qui erant de uita populorum, quam ad heuremata accedere uidetur. —

§ 3 „quam autem uitem caper praeroserat, plenius fructum protulit, unde etiam putationem inuenerunt." Corruptum uerborum ordinem correxit Wachsmuthius. Quanquam notissimum est ueteres caprum, quippe qui uitibus noceret, Baccho immolare consueuisse (cf. Varr. de r. r. I 2, 17 sqq.; Verg. ge. II 379 sq. cum schol.; Ou. fast. I 353 sqq.; met. XV 114 sq.; al.), huius tamen inuenti testimonia desunt, simile uero exemplum praebet Pausan. l. modo l.

Atque ut eorum, quae tractauimus, argumentum comprehendamus §§ 1—3 agitur de uino; ante § 1 excidit fortasse narratio, qua traditum erat, cui cognitio ususque

uini deberetur; § 2 autem, qua eiusdem rei *εὑϱ.* refertur, diuersa ac deperditae fabellae opposita memoria uidetur esse intellegenda, quae quidem nescio an coniectura fuerit heurematici cuiusdam in antiquitatibus explicandis uersati; § 1 de miscendo uino; § 3 de uitibus amputandis. —

§§ 4. 5 „Pelethronius frenos et stratum equis primus inuenit.“ Eadem apud Plin. n. h. VII 202; cf. Verg. ge. III 115 cum schol.; Lucan. VI 398 sq. cum schol. Bern. —

§ 6 „Belone prima acum repperit, quae Graece *βελόνη* appellatur.“ Ad hanc eponymiam non habeo, quod adferam, testimonium. —

§ 7 „Cadmus Agenoris filius aes Thebis primus inuentum cudit.“ Heinsii emendatione (*cudit* pro *condidit*) locum sanatum arbitror. Inter Cadmum et aes inuentum haec intercedere mihi uidetur ratio: heurematographus cum non ignoraret ad aes comparandum adhiberi lapidem aerosum, quae uocatur cadmea (cf. Plin. n. h. XXXIV 2. 100; Isid. orig. XVI 20, 2), propter soni similitudinem aes primo a Cadmo esse excoctum coniecit, utpote qui lapidem illum aerosum inuenisset eique e suo nomine imposuisset cadmeae[1]) nomen; quam ob causam ab aliorum historicorum et heurematicorum sententia deflexit noster: cf. Plin. n. h. VII 197; Tat. § 16; Clem. §§ 17. 29. —

§ 8 „Aeacus Iouis filius in Panchaia, ⟨Cadmus autem Pangaeo⟩ in monte ⟨aut⟩ Thasos aurum primus inuenit.“ „Aeacus“ correxit Muncker pro codicis „Sacus“ cl. Cassiod. uar. IV 34; idem nomen apud Plin. n. h. VII 197 restituit Urlichsius *Ann. philol.* 77 (1858) p. 488 ex codicum „aeaclis“ et „e aclis“. In uerbis autem, quae deinde leguntur: „in Panchaia in monte Taso“ non unum mendum latere apertum est. Primum enim uix cuiquam credibile

1) Cadmeae lapidis iam olim Scheffer admonuit. — Cf. Bluemnerum *Technol. und Terminol.* IV p. 91 sqq.

uidebitur Euhemerum, ad quem propter Panchaeam memoratam Aeaci εὑρ. referendum est [1]), in ista insula praeter Olympum Triphylium effinxisse etiam montem Tasi nomine notatum; alterum „in monte“ uerbis Pangaei montis admonemur, in quo aurum a Cadmo inuentum esse et Plinius l. l. et Clemens § 24 (cf. supra p. 34) tradant. Inspiciamus igitur paulo accuratius Plinii narrationem: „auri metalla et flaturam Cadmus Phoenix ad Pangaeum montem, ut alii Thoas, aut Aeacus in Panchaia aut Sol Oceani filius . . .“ In hac εὑρετῶν serie num Thoantis [2]) nomen recte sese habeat, dubito, quoniam inter multos huius nominis uiros nullus est, cui qua de causa auri inuenti laus tribui potuerit, intellegatur. Itaque scribendum propono: „Thasus“ uel „Thasos“. Apud Herodotum [3]) enim VI 47, ubi de Thasiorum rebus sermo est, haec leguntur: „(auri metalla) *τὰ οἱ Φοίνικες ἀνεῦρον οἱ μετὰ Θάσου κτίσαντες τὴν νῆσον ταύτην, ἥτις νῦν ἐπὶ τοῦ Θάσου τούτου τοῦ Φοίνικος τὸ οὔνομα ἔσχε,*“ quae uerba fieri uix potuit quin heurematicus Herodoti librum percurrens ut *ἕρμαιον* in conlectanea confestim iaceret (cf. supra p. 13 sqq.). Nomine autem correcto optime inter se cohaerent ambo primi, quos Plin. recenset, inuentores: „Cadmus Phoenix ad Pangaeum montem, ut alii Thasos“, erant enim fratres; deinde secuntur: „aut Aeacus in Panchaia aut Sol“. Quo-

---

1) Cf. supra p. 5 adn. 2. Apud Diod. V 46 Panchaeam metallorum quouis genere abundare narratur, de inuentione quidem eorum sermo non est.

2) Requiritur haud dubie inuentoris nomen, quam ob causam non adsentior Knaackio p. 589 adn. 1 ex Wilamowitzii coniectura „Thaso“ scribenti.

3) Cf. Eustath. ad Dion. Per. 517; praeterea de colonia Phoenicum in Thasum insulam deducta Scymn. 660 sqq.; Paus. V 25, 12; Apollod. bibl. III 1, 1, 8; Conon. 37; — Odofr. Mueller. *Orchom. u. d. Minyer.* 1844 p. 109.

niam uero apud Plin. Thasi inuentoris nomen recuperauimus, etiam apud Hyg. „Taso“ corruptam scripturam in „Thasos“ emendemus. Unde efficitur in uerbis, quae antecedunt, lacunam hiare, nam, id quod iam supra significaui, montis nomen quoddam desideratur. Quod Plinii et Clementis l. l. suppeditatur. Atque quandoquidem librarius nominum similitudine deceptus facillime nonnulla uerba transsilire potuit, Plinium Clementemque secutus supplenda censeo haec: „in Panchaia, ⟨Cadmus autem Pangaeo⟩ in monte“. „Autem“ particula enim in catalogo Hyginiano saepius usurpatur, ut compluria heuremata ad unam materiem spectantia conectantur: §§ 2. 3. 17. 28. 31[c]. 31[f]; licebit uero etiam scribere siue „ut alii dicunt“ (cf. § 31[b]) siue „aut“, quas coniunctiones Plinius in catalogo adhibere solet. Neque impugnabo, si quis Cadmi nomini „Phoenix“ gentilicium addet, sicut apud Plin. et Clem. legitur, tamen necessarium non est, praesertim cum § 7, quae antecedit, exhibeatur „Cadmus Agenoris filius“. Denique restat, ut ante „Thasos“ nomen inseramus: ⟨aut⟩. —

§ 9 „Indus rex in Scythia argentum primus inuenit, quod Erichthonius Athenas primus attulit.“ „primus“ pro „primum“ altero loco Knaackius p. 587 correxit. Micyllus pro „Indus“ coniecit „Lyncus“, haud dubie ea causa inductus, quod Indi nomen inter reges Scytharum suspectum habebat. Qua eadem in re Knaackius adeo offendit, ut, quamuis Cassiod. uar. IV 34 idem „Indo regi Scythiae“ argentum inuentum addicat, coniecturam Micylli sine ulla haesitatione in textum et Hygini et Cassiodorii recipi iuberet. At de Lynco Scytharum rege nihil scimus nisi quae Ouid. met. V 649 sqq. narrat — cf. Seru. Verg. Aen. I 323, al. —: ibi uero ne uocula quidem argentum attingitur. Praeterea autem omnino cogitandum non est de illis finibus, quos uetustiores Graeci Scytharum nomini adscribere solebant, dico illos fines, qui Istro et Tanaide fluminibus

continentur. Neque enim usquam commemoratur argentum in Scythia nasci [1]) et apertissime Herodotus (IV 71, 4; I 215, 3; cf. Strab. XI 8, 6) testatur Scythas non esse usos argento. Tamen traditam memoriam caue contemnas. Intellegendi enim sunt *νότιοι Σκύθαι* siue *Ἰνδοσκύθαι* (cf. Ptolem. geogr. VII 1, 55. 62; Dion. Per. 1088 cum comment.), qui iuxta Indum flumen habitauerunt et iam primo uel altero ante Chr. n. saeculo hos Indiae fines occupauerant (cf. Kiepertii *Lehrb. d. alten Geogr.* 1878. p. 37). Indiam autem argenti esse feracissimam referunt Ctes. in Phot. bibl. 72 p. 46ᵇ 25 sq.; Diod. II 36; Plin. n. h. VI 67. Heurematicus igitur, cum argentum Indicum non ignoraret, ex Indoscythis inuentorem eius elicuit Indum Scytharum regem [2]).

Ab Erichthonio autem primo argentum Athenas adlatum esse nullo praeterea loco adseueratur. In Plinii catalogo (n. h. VII 197) legitur: „argentum inuenit Erichthonius Atheniensis“, qua in re nihil est offensionis, quia omnes statim de argentifodinis Laurii montis cogitabunt: quod *εὑρ.* Atticum scriptorem decet. —

§ 10 „Elide, quae urbs est in Peloponneso, certamina quadrigarum primum instituta sunt.“ Cassiod. uar. III 51 „Primus hoc (sc. spectaculum agitandorum curruum) apud Elidem Achaiae [3]) ciuitatem Oenomaus fertur edidisse;

1) Contra aurum Scythicum notissimum est: Herod. III 116; IV 27; Plin. n. h. XXXIII 66; al. — Bluemner l. l. IV p. 31 sq. n. 8 *εὑρ.* de quo agimus fortasse ad Colchos esse referendum suspicatus est.

2) Cf. Arr. Ind. 5, 6 ʻIndathyrsis Scytha ex Scythia profectus multas Asiae gentes debellauit.ʼ

3) „Asiae“ cod.; „Achaiae“ Perizonius ad Ael. u. h. III 38; „Apiae“ Knaackius p. 587. — Alteram Cassiodorii narrationis partem testantur Val. Max. II 4, 4; Tertull. de spect. 9; Ioann. Ant. fr. 31; al.

quod postea Romulus in raptu Sabinarum necdum fundatis aedificiis ruraliter ostentauit Italiae." Praeterea idem εὑρ. adfirmant chronographi Byzantini: Ioann. Antioch. fr. 29; Malal. p. 173 D; chronic. Pasch. p. 292 sq. M; Crameri An. Paris. II p. 191. 391; notatu autem dignum est hos auctores in eodem conexu bigas ab Enyalio inuentas esse narrantes Callimachi *Aetia* in testimonium uocare. — Sermo igitur est de certamine quadrigarum, quod Oenomaus procis Hippodamiae filiae proposuit: cf. Hyg. fab. 84; Diod. IV 73; al.[1]). Illud autem certamen auctor inuenti antiquissimum esse eiusmodi spectaculorum exemplum intellexit, nam in fabula ipsa nequaquam dicitur ante Oenomaum curribus certatum non esse. —

§ 11 „Midas rex, Cybeles filius, Phryx plumbum album et nigrum primus inuenit." Cassiod. uar. III 31 „... plumbum Midas regnator Phrygiae reppererunt." Quamuis de auro Midae multa tradita sint, plumbi ab eo inuenti nusquam mentio fit, neque omnino in Phrygia aut *κασσίτερον* aut *μόλυβδον* prouenisse legitur (cf. Bluemner. l. l. IV p. 85 sq. 89 sqq.).

Plinius in catalogo VII 197 „plumbum, ait, ex Cassiteride insula primus apportauit M i d a c r i t u s"; quo ex „portento nominis" olim Harduinus corrigere uoluit „Midas Phrygius", similiterque fecerunt Eichholtzius p. 22 et Knaackius p. 595. Sed quando et qua occasione Midas ille ex Phrygia in Cassiterides insulas (cf. Baehrii ad Herod. III 115 excurs.) penetrauit? Longe aliter rem intellexit Bluemner l. l. IV p. 87 n. 1: laudatis enim Muellen-

1) Quod nonnullis locis — Lycophr. 166; Paus. V 17, 7; Schol. Apoll. Rh. I 752 — de duobus tantum Oenomai equis sermo est, nos non tangit, quandoquidem quattuor equi non solum l. s. l. commemorantur, sed etiam monumentorum reliquiis ostenduntur: cf. Overbeck. *Gesch. d. griech. Plastik* I 1881 p. 423.

hoffio et Schradero sub Midacriti nomine latere Μελικέρτην Phoenicem suspicatus est. Quis uerum aperiet? —

§ 12 „Arcades res diuinas primi diis fecerunt." Test.: Seru. Verg. Aen. VIII 352 [1]); Schol. Aesch. Prom. 450; cf. Hyg. fab. 225, 1. 6. De Arcadum erga deos pietate notissima cf. Polyb. IV 20, 1. Fortasse εὑρήματος rationem in ea re positam existimabis, quod Arcadum gens perhibebatur antiquissima: Plut. quaest. Rom. 92; Schol. Apoll. Rh. IV 264; Schol. Arist. nub. 397; Eustath. ad Dion. Per. 414.

Schmidtius scribere malit: „⟨Pelasgus et Lycaon⟩ Arcades": additamentum tamen plane est superfluum! —

§§ 13. 14 „Phoroneus, Inachi filius, aram Iunoni primus fecit, qui ob eam causam primus regnandi potestatem habuit." Pro „aram" traditum est „arma", quae scriptura summam mouet suspicionem. Quo enim iure Phoroneus, antiquissimus hominum, arma fabricatus esse perhibeatur (cf. infra ad § 29 sq.), et quid ei commune sit cum Iunonis armis, plane obscurum est, ac num Iuno plus semel homines arma sibi fabricari iussit? Loco autem, quem tractamus, simillimus est alius eiusdem corporis Hyginiani: fab. 143 „(Iuppiter) exordium regnandi tradidit Phoroneo ob id beneficium, quod Iunoni sacra primus fecit." Unde Scheffer pro „arma" correxit „aram" [2]). Sed omnes deinde editores interpretesque traditam scripturam obtinuerunt, quandoquidem eam confirmat Cassiod. uar. VII 18: „hoc (sc. opus, i. e. arma) primum Phoroneus Iunoni dicitur obtulisse, ut inuentum suum numinis — ut putabat — auspicio consecraret." Verumtamen non solum in re ipsa,

---

1) Fugit hic locus Bursianum p. 783. Corrigendum autem est in Seruii narratione „Pelasgus" pro „Aeacus".

2) Recepit hanc emendationem, quanquam de commutato textu silentium egit, Kinkelius *Epicor. Gr. fr.* I p. 210.

quae narratur, — ut modo dixi — offendo, sed etiam in eo, quod, cum utroque Hygini loco Phoroneus uno eodemque praemio, dico regis dignitate, decoretur atque cum utroque loco causam praemii fuisse beneficium quod in Iunonem ille contulerit, apertis uerbis (fab. 143 „ob id beneficium", fab. 274 „ob eam causam") indicetur, tamen de beneficio ipso uariatur. Atque ea quidem, quae fab. 143 referuntur, probat Lactant. ad Stat. Theb. IV 589; Phoroneum autem primum Iunonis cultum instituisse testantur etiam Clem. Alex. protr. III 44; Hyg. fab. 225; Lactant. l. l. I 252. 542; XII 465. Itaque non dubitaui lenissimam Schefferi emendationem recipere, unde efficitur, ut exstitisse iam mendum statuamus siue Cassiodorii aetate in codice enchiridii, quod Hygini nomine inscripto fertur, siue antea in fonte, ex quo et Hyginiani catalogi auctor et Cassiodorius hauserunt.

De ratione autem *εὑρήματος* non ambigimus, quandoquidem Iunonis in Argolide cultus antiquitus uiguit et Phoroneus antiquissimus ibi hominum fabulis perhibetur. Qui praeterea Iunone et Neptuno de dominatione Argolidis certantibus arbiter litem dedisse secundum Iunonem narratur apud Paus. II 15, 5. —

§ 15 „Chiron Centaurus Saturni filius artem medicinam chirurgicam ex herbis primus instituit." Test.: Plin. n. h. VII 196; Plut. quaest. conu. III 1, 3, 2; Galen. introd. 1 (XIV p. 674 ed. Kuehn.); Suid. s. *Χείρων*. De Chirone medico et de herbarum ad medendum usu disseruit Welcker *Kl. Schrift.* III p. 1 sqq. 27 sqq. —

§ 16 „Apollo autem ocularíam medicinam primus fecit." „autem" pro „artem" coniecit Schmidtius; cf. supra p. 69. Test. mihi desunt, sed cf. Welckerum l. l. p. 8 n. 20. —

§ 17 „tertio autem loco Asclepius Apollinis filius clinicen repperit". Aesculapium medicinam uel inuenisse

uel excoluisse saepius legitur, cf. supra p. 5 et 26 sqq.; quod autem ei κλινική reperta adsignatur, fortasse e uerbis repetendum est, quibus incubatio significatur: κατακλίνειν εἰς Ἀσκληπιοῦ Aristoph. Plut. 411. 621. Vesp. 124 M. —

§ 18 Sequitur copiosa [1]) narratio de Agnodice virgine Atheniensi, quae apud Athenienses prima femina medicinam edocta artem obstetriciam exercuit. Cuius fabulae de natura et auctoritate doctissime disputauit Welcker l. l. p. 195 sq. Tamen contra eum cum Schwenckio (*Mus. Rhen.* I 1842 p. 475 sq.) pro „Hierophilus" corrigendum esse censeo „Herophilus". Testimonia desunt. —

§§ 19. 20 „Perdix Daedali sororis filius circinum et serram ex piscis spina repperit." Eadem haec duo εὑρ. Perdici, Daedali nepoti, adscribunt Ouid. met. VIII 244 sqq. (cf. Ibid. 496 Merk.); Seru. ad Verg. ge. I 143; Isidor. or. XIX 19, 9; cf. Seru. ad Verg. Aen. VI 14, ubi quidem Perdix eponymice Circinus appellatur. Serram solam Per-

1) Item copiosae fabulae heurematicae exstant infra in § 27 et in Gregor. Naz. catalogi §§ 8 et 10, atque inter reliquias etiam π. εὑρ. librorum Scamonis narratio aliquanto fusius explicata reperitur (fr. 4 Eichh.). Itaque nequaquam ex catalogorum, quos Plinio et Clementi debemus, natura conligendum est libros π. εὑρ. ipsos nihil nisi ieiunos aridosque εὑρημάτων et εὑρετῶν indices praebuisse, immo heurematicos totam materiem narrando et argumentando esse persecutos nec raro fabulas fusius expositas immiscuisse probabile est (cf. infra p. 91). Quae coniectura etiam alia causa nititur. Eis enim, qui π. εὑρ. quaestiones instituebant, cum uniuscuiusque fere rei complures inuentores traderentur, iudicio adhibito, quid uerum esset, disceptare ac priorum sententiarum censuram agere necesse erat. Cuius rei exempla praebent Strabo VII 3, 9 et Schol. Apoll. Rh. I 1276; Strato autem Lampsacenus uel toto opere π. εὑρ. conscripto id egisse uidetur, ut Ephori sententias impugnaret; Plinius enim opus eius significat his uerbis (n. h. ind. auct. l. VII): „Strato qui contra Ephori εὑρήματα scripsit" et Laertius Diog. (V 60): „εὑρημάτων ἔλεγχοι δύο".

dici tribuunt Hyg. fab. 39; Lactant. fab. Ouid. VIII 3. Perdicis nomine uocatum esse Daedali nepotem uetustissimus exstat testis Sophocles, qui in *Καμικῶν* fabula fortasse inuenta quoque eius tetigit: Phot. lex. s. *Πέρδικος ἱερόν*, cf. TGF p. 200 sq.[2]

Eundem artificem alii Talum 1) appellant: Diod. IV 76, 5, qui ei rotam figularem, serram — scilicet ad exemplum mandibulae serpentis excogitatam —, tornum alia adsignat, et Apollod. bibl. III 15, 9, 1 serrae solius *εὕρ.* exhibens; antea iam Hellanicus inuenta Tali litteris mandauisse uidetur, cum lites primas in Areopago habitas enarrans etiam Daedalum de caede Tali reum factum esse commemoret: FHG I p. 56, 82. —

§ 21 „Daedalus Eupalami filius deorum simulacra primus fecit." Idem *εὕρ.* alibi non legi, Apollodorus autem bibl. III 15, 8, 10 Daedalum *ἀγαλμάτων* dicit *εὑρετήν* et Athenagoras suppl. 17 p. 78Otto. *ἀνδριαντοποιητικῆς*; praeterea idem imagines animatas effinxisse fertur: Diod. IV 76, 2; Schol. in Plat. remp. X p. 892[b] 5 Turic. —

§ 22 „Oannes, qui in Chaldaea de mari exisse dicitur, astrologiam interpretatus est." „*Ὠάννης*" Salmasius emendauit pro „Euadnes". Inuenta monstri illius Chaldaeorum enarrauit Berosus fr. 1, 3 FHG II p. 496 sq., quo in numero quanquam astrologia ipsa deest, tamen uniuersae comprehenduntur artes; astronomiam autem ipsam ei deberi adfirmat Helladius in Phot. bibl. p. 535[a] 35, ubi *Ὤης* nominis forma corrupta legitur. De Chaldaeis astrologiae inuentoribus cf. supra ad Clem. § 1[b] p. 24. —

§§ 23. 24 „Lydi Sardibus lanam infecerunt, postea idem † samen." § 23: Idem apud Plin. n. h. VII 196, quo e loco Turnebus corruptam Hygini scripturam restituit. Alia testimonia non inueni, sed textrinam quidem artem

1) Apud Pausaniam idem audit Calus: I 21, 6; 26, 5.

apud Lydas mulieres floruisse tradit Eustath. ad Dion. Per. 839 et Arachne quoque Lyda perhibetur: Ou. met. VI 5 sqq. — Quod autem hoc loco sicut §§ 22 et 30 cogitatione supplendum est „primi“, in heurematico catalogo uix reprehendes. — § 24: Verba, quae secuntur, corrupta et mutilata ut sanari possint, metuo. Turnebum et Munckerum secutus Schmidtius „iidem stamen“ scripsit, tamen neque de stamine inuento quicquam traditum uidi, neque aliud habeo Lydorum *εὕρ.*, quod supponam. Schneider p. 50 sq. hariolatur. —

§ 25 „Pan fistulae cantum primus inuenit.“ Test.: Verg. buc. II 32 cf. VIII 24; Plin. n. h. VII 204; Paus. VIII 38, 11, ubi nomen quoque adfertur loci, quo fistulae modos excogitauerit Pan; al. Celebratur etiam hoc *εὕρ.* fabula illa, quae est de Syringe nympha: Ou. met. I 689 sqq.; Long. II 34; al. Fistula canens Pan fingitur iam hymn. Hom. in Pan. 15; et *σύριγξ* eius saepissime commemoratur, uelut Eur. I. T. 1126; Luc. deor. dial. XXII 3. —

§ 26 „In Sicilia frumentum Ceres prima inuenit.“ Test.: Diod. V 4, 3; Plin. n. h. VII 191; Solin. p. 55,17 M. Cf. infra p. 83 sq. —

§ 27 „Tyrrhenus Herculis filius tubam primus inuenit hac ratione: quod cum carne humana[1]) comites eius uescerentur, ob crudelitatem incolae circa regionem diffugerunt, tunc ille ⟨cum ali⟩quis ex eorum ⟨numero⟩ decesserat, concha pertusa buccinauit et pagum conuocauit, testatique sunt se mortuum sepulturae dare nec consumere. unde tuba Tyrrhenum melos dicitur. quod exemplum hodie Romani seruant, et cum aliquis decessit, tubicines cantant et amici conuocantur testandi gratia eum neque ueneno neque ferro interiisse.“

1) Cf. Schol. Pind. Pyth. II 3 „*τὸ γοῦν ἀνθρωποθυτεῖν φησιν ὁ Θεόφραστος ἐν τῷ περὶ Τυρσηνῶν παύσασθαι αὐτοὺς Γέλωνος προστάξαντος.*“

„ille quia ex eorum decesserat“ tradita uerba correxi simili modo atque Scheffer uoluit. Tyrrhenum, Herculis et Omphalae (Dion. Hal. ant. Rom. I 28) Lydae filium, tubam inuenisse testatur Paus. II 21, 3; praeterea cf. Tat. § 15 et quae adnotaui p. 13. Difficultates autem praebet narratio quae sequitur. Quanquam enim apertis uerbis („hac ratione“) promittitur explananda *εὑρήματος* ratio, pro ea tamen *αἴτιον* moris cuiusdam explicatur, ex quo si quis de uita decesserat, ciues tuba conuocabantur, ut testarentur hominem non uiolenta morte periisse, sed naturae uitam reddidisse. Nec dubito, quin non pauca exciderint atque omnino narratio turbata sit; olim enim, ut unum moneam, expositum fuisse uidetur Tyrrhenos ante tubam inuentam conchis usos esse; utique „unde tuba Tyrrhenum melos [1]) dicitur“ uerba non suum obtinent locum. Graecum haec uerba fontem indicant; quae autem secuntur, Romanam originem manifesto prae se ferunt. Certe locus ueteris doctrinae uestigia prodit.

Notissimum est mortuos ad tubam deduci solitos fuisse; nec uero ea consuetudo, quae hoc loco describitur, ad exsequias pompamque referri potest. Sed in conclamatione tubae adhibitae fuisse uidentur (cf. Petron. 78) et fortasse fabula, cuius reliquias apud Hyginum legimus, aetiologia fuit, qua explanabatur, cur uicini statim post mortem alicuius accurrere et lamentando clamitandoque atque cantibus lugubribus strepitum edere solerent. —

§ 28 „Ortini autem classica inuenerunt.“ Haec ex corruptis uerbis „cornicines — classici“ Schneider p. 51 restituit cl. Seru. ad Verg. Aen. VII 716; addas l. l. II 30. Test. inuenti ipsius frustra quaesiui. —

§ 29 „Afri et Aegyptii primi fustibus dimicauerunt.“

1) Cf. Anthol. Pal. VI 151, 3 de tuba uel de tibia graui: „*Τυρσηνὸν μελέδαμα, δι' οὗ ποκα πόλλ' ἐβόασεν ὡνὴρ εἰράνας σύμβολα καὶ πολέμου.*“

„primi“ correxi pro „primum“, antea enim homines unguibus, dentibus, pugnis pugnasse ueteribus persuasum erat, cf. Lucret. V 1281 sqq.; Hor. sat. I 3, 101; Cassiod. uar. I 30. εὑρ. confirmat Plin. n. h. VII 200. Aegyptios, antequam arma inuenta essent, fustibus dimicauisse intellegitur ex Diod. I 24, 3; cf. Herod. II 63 et IV 180, 2. —

§ 30 „postea Belus Neptuni filius gladio belligeratus est, unde bellum est dictum.“ Cassiod. uar. l. l. „postea Belus ferreum gladium primus produxit, a quo et bellum placuit nominari.“ Vetustiora testimonia non repperi. Belum uel Arem apud Assyrios bellicosissimum regem et deum cultum esse refert Ioann. Ant. fr. 5. Etymologia addita Romanum prodit auctorem. —

Hyg. fab. 277.

§ 31[a] „Parcae Clotho Lachesis Atropos inuenerunt litteras Graecas septem † ABHTIY †.“ Difficillimus est intellectu locus. Parcas enim nusquam praeterea, ne in copiosissimis quidem, quae de hac materia exstant, narrationibus, inter litterarum inuentores recensitas uidi. Fortasse cogitari possit de Fatis Scribundis. Romani enim has deas fingebant esse librarias, quae iudicia ac numina deorum litteris mandarent. Mart. Cap. I 65 p. 19, 8 Eyss.: „Clotho uero Lachesis Atroposque, quoniam sententias Iouis orthographae studio ueritatis excipiunt, utpote librariae superum archiuique, cum senatum curiamque contrahi et ipsum Tonantem exuuiis indusiari publice cernerent, senatus in acta caelestiumque consultum stilos acuunt cerasque componunt“; cf. l. l. I 89 p. 24, 19; Pacat. paneg. Theodos. 18 p. 287, 18 Baehr.; ac notum est, quomodo Ouidius met. XV 808 sqq. tabularium rerum descripserit, quod est in tectis trium Parcarum, ubi inueniuntur „incisa adamante perenni fata“ hominum [1]). Hinc

1) Locos mihi subministrauit Klausenius *Zeitschr. f. d. Altertumswiss.* 1840 p. 226 sq.

quam facile Romanus auctor Parcis primordia scribendi litterasque inuentas adsignare potuerit, nemo heurematicorum studiorum peritus non intelleget. Cur autem ille de septem dicat litteris, non intellego, nisi omnino septem litteras primas inuentas esse coniecit, quibus ceterae deinceps adderentur: quam fuisse illius sententiam ea re indicari uidetur, quod statim (§ 31[c]) exhibet: „Palamedes . . . inuenit . . . litteras undecim". His enim computatis numerus 18 litterarum efficitur, quem Aristoteles priscarum litterarum numerum fuisse Plinio (n. h. VII 192) teste comprobauit. — Signa autem litterarum corrupta in tam incerta re nolim tentare. Neque percipio quo iure Schmidtius aut post „Parcae": „id est" supplendum aut „Clotho Lachesis Atropos" nomina e textu releganda censuerit; nam ex Seruii loco — ad Verg. Aen. I 22: „(Parcarum) una loquitur, altera scribit, alia fila deducit" — si quid, certe hoc efficeretur: uni Parcarum inuentionem litterarum addicendam esse; quod nil ad Hyginum. —

§ 31[b] „alii dicunt Mercurium ex gruum uolatu, quae cum uolant litteras exprimunt." Mercurio litterarum inuentionem inter alios plurimos attribuit Mnaseas: cf. Luc. Tarrh. in Bekkeri AG p. 783, 17; eum autem exemplum sumpsisse a gruum uolatu unus testis est Cassiodorius uar. VIII 12: „(litteras) primum, ut frequentior tradit opinio, Mercurius, repertor artium multarum, uolatu Strymoniarum auium conlegisse memoratur. nam et hodie grues, cum classem[1]) consociant, alphabeti formas natura imbuente describunt"[2]). Neque enim scio an in testimonium uocari

1) „classem" correxit Knaackius pro „classe".

2) Hic repudianda est coniectura Knaackii, ad quam inductus est studio suo uestigia exquisitioris doctrinae in Hyginiana memoria indagandi. Cassiodorius l. l. postquam Mercurium litterarum inuentorem summis laudibus praedicauit, haec uerba exhibet: „. . . hinc Hellenus, auctor Graecorum, plura dixit eximie uirtutem eius (i. e. alphabeti) com-

non liceat, quae leguntur apud Plutarchum: quaest. conu. IX 3, 2 „. . . . Ἑρμῆς . . . λέγεται θεῶν ἐν Αἰγύπτῳ γράμματα πρῶτος εὑρεῖν· διὸ καὶ τὸ τῶν γραμμάτων Αἰ-

---

positionemque subtilissima narratione describens, ut in ipso initio possit agnosci magna[rum] copia litterarum". De quibus Knaackius p. 590 ita: „*Die breite schwuelstige Ausmalung der Thatsache gehoert natuerlich dem Compilator an; als Kern bleibt uebrig, dass ein* Hellenus *ausfuehrlich ueber die Buchstabenerfindung gehandelt habe. . . . Fuer* Hellenus *aber ist ohne Frage* Hellanicus *zu schreiben, aus dessen Werken nach einer Vermutung von Wilamowitz die zahlreich beruecksichtigten* εὑρήματα *spaeter ausgezogen und zusammengestellt worden sind . . .*" (Vereor ne errauerit Wilamowitzius; de loco Clem. Alex., quem Knaackius adhibuit, cf. supra p. 13 sqq.) Non recte intellexit Knaackius uerba Cassiodorii, et mirum est, quod in errore suo perseuerauit, etsi postea ipse (p. 600 sq.) in alterum locum incidit, quo Cassiodorius idem auctoris nomen in eodem sententiarum nexu laudauit: de art. ac disc. 1 p. 529ᵃ G = Keilii *Gram. Lat.* VII p. 214, 18. Hoc loco postquam non Mercurio, sicut priore loco, sed Cadmo litteras inuentas attribuit, „reliquas (litteras), inquit, ipsi (i. e. Graeci) uiuacitate animi suppleuerunt. de quarum positionibus atque uirtutibus Graece Hellenus, Latine Priscianus suptiliter tractauerunt" (textum correxi ex codice Bambergensi). Ergo et hoc loco Hellenus non de inuentoribus, sed de uirtutibus ac positionibus litterarum disputauisse dicitur. Atque quandoquidem cum Prisciano componitur, grammaticum requirimus. Nam procul dubio intellegendus est Priscianus Caesareensis, Cassiodorii aequalis, quippe e cuius *Institutionum* libro I ipse excerpta reliquerit: GL VII p. 207 sqq. Quo cum saeculi p. Chr. sexti grammatico re uera „mirum in modum" coniungitur Hellanicus, uetustissimus historicus, quem Knaackius substituere uoluit. Porro ex Knaackii coniectura nonne conligitur Priscianum quoque „suptiliter" de litteris inuentis egisse? Attamen hic ea re ab aliis grammaticis Latinis distinguitur, quod de hac materia nihil dixit, nisi quod Varronis sententiam breuissime commemorauit: GL II p. 8, 1 sqq. Quis autem fuerit „Hellenus" ille, nescio; cf. Keilii adn.

γύπτιοι πρῶτον ἶβιν γράφουσιν, ὡς Ἑρμεῖ προσήκουσαν ...“ Palamedem tamen litteras inueniendas a gruibus uolantibus didicisse compluribus locis indicatur: Philostr. heroic. X 3 p. 178, 9 Kays.; Nemesian. de aucup. 15 p. 204 Baehr.; cf. Martial. IX 13, 7 et XIII 75; Auson. XXVII 12, 25 p. 138 Schenkl. —

§ 31[c] „Palamedes autem Nauplii filius inuenit aeque litteras undecim“; Palamedem plurimarum rerum inuentarum laudibus floruisse exposui ad Gregor. § 2 sqq.; litteras ei primus adsignauit Stesichorus cf. Bekkeri AG p. 783, 16; praeterea Ampelius VIII 5 „Sicyone in Achaia, ait, in foro aedis Apollinis est: in ea sunt .... Palamedis litterae ...“ Sed de numero litterarum ab eo inuentarum sententiae uariantur; ut ceteras mittam, certissimi quidem testes quattuor litteras ei adscribunt: Luc. Tarrh. in Bekkeri AG p. 782, 27; Plin. n. h. VII 192; Hes. Miles. ap. Suid. s. u. At undecim litteras Palamedi attribui praeterea non legi. —

§ 31[d] „Simonides litteras aeque quattuor *Ω Η Ξ Ψ*“; cod. Fris.: *ω ε ζ φ*; correxit Schmidtius e Bekkeri AG p. 781, 2 = 782, 27[1]); idem testatur Suid. s. *Σιμωνίδης Λεωπρεποῦς· „προσεξεῦρε δὲ καὶ τὰ μακρὰ τῶν στοιχείων καὶ διπλᾶ“*. Numerum saltem eundem litterarum, quamuis corrupta sint signa, comprobant Plin. n. h. VII 192; Grammatici Latini: uol. VI p. 194, 15 et VII p. 325, 6 K; Crameri An. Ox. IV p. 400, 14. —

§ 31[e] „Epicharmus Siculus duas *Θ* et *Χ*“; cod. Fris. *π* et *ψ*; correxit Schmidtius; cf. Plin. n. h. VII 192 Ian.; Bekkeri AG p. 782, 28 *„Παλαμήδης δὲ τῶν δασέων καὶ τοῦ ζ* (inuentor perhibetur) *ἤ, ὥς φασί τινες, Ἐπίχαρμος*

1) Crameri An. Oxon. IV p. 319, 29 tamen pro *ξ* signo legitur *ζ*; itemque schol. anon. ad Gregor. Naz. uol. II p. 1236[c] Mign. Simonidi attribuit *η ζ ψ ω* litteras.

ὁ Συρακούσιος"; duae litterae Epicharmo adsignantur etiam Crameri An. Ox. IV p. 400, 15.

Simonidem autem et Epicharmum poetas procul dubio eam ob causam honore inuentorum ornauerunt uiri docti, quia in eorum operibus prima illarum litterarum exempla deprehendisse sibi uidebantur. —

§ 31[f] „has autem Graecas Mercurius in Aegyptum primus detulisse dicitur." Haec ex Euhemeristarum commentis manauisse uidentur, cf. Cic. de nat. de. III 22, 56 „Mercurius .... Quintus, quem colunt Pheneatae, qui Argum dicitur interemisse ob eamque causam in Aegyptum profugisse atque Aegyptiis leges et litteras tradidisse" (cf. supra p. 5); cf. Seru. Verg. Aen. IV 577; Lact. Stat. Theb. IV 482. —

§ 31[g] „ex Aegypto Cadmus in Graeciam"; Schmidtius scribendum censuit: „ex Aegypto ⟨Danaus, uel ut alii dicunt, ex Phoenice⟩ Cadmus in Graeciam." Concedo haec optime quadrare ad ea, quae uulgo traduntur. Conferas de Danao Bekkeri An. Gr. p. 783, 6: „*Πυθόδωρος δὲ ὡς ἐν τῷ περὶ στοιχείων καὶ Φίλλις*[1]) *ὁ Δήλιος ἐν τῷ περὶ χρόνων πρὸ Κάδμου Δαναὸν μετακομίσαι* (*τὰ στοιχεῖά*) *φησιν*" cf. p. 786, 4 — et de Cadmo Phoenice quae adnotaui ad Clem. § 13[a]. Tamen de Schmidtii supplementis dubito. Fuerunt enim, qui dicerent Cadmum fuisse Aegyptium: cf. Diod. I 23, 4 et Paus. IX 12, 2, qui uetustam hanc opinionem refellit. Itaque esse etiam potuerunt, qui contenderent ex Aegypto Cadmum litteras apportauisse; nec mirum est, quod rara memoria Hyginiano catalogo seruatur, quippe qui aliis quoque multis rebus a uulgari narratione abhorreat. —

§ 31[h] „quas Euandrus profugus ex Arcadia in Italiam

1) Cf. Hoerschelmannum: *Act. soc. philol. Lips.* IV 1875 p. 335.

transtulit"; cf. Dion. Hal. ant. Rom. I 33; Liu. I 7, 8; Tacit. ann. XI 14. —

§ 31[1] „quas mater eius Carmenta in Latinas commutauit num. XVI." „XVI" correxit Muncker pro „XV": cf. Ioann. Lyd. de mens. I 9 p. 5B „ὁ Εὔανδρος πρῶτος γράμματα ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος, τὰ λεγόμενα Κάδμου, εἰς τὴν Ἰταλίαν ἐκόμισεν, οὐ τοσαῦτα μὲν ὅσα νῦν ἐστιν . . ., μόνα δὲ ἓξ πρὸς τοῖς δέκα" et Mar. Vict. art. gramm. I 4 p. 23, 14K. — Test.: Serg. explan. in Don. p. 519, 10K. —

§ 32 „† † Apollo in cithara ceteras adiecit." Cum „ceterae" non de litteris intellegi possint, ante hoc enuntiatum nonnulla intercidisse manifestum est recteque Schmidtius haec fere supplenda esse censuit: ⟨Idem Mercurius primus lyram tribus (*uel* quattuor) fidibus instruxit⟩, cf. Diod. I 16, ubi ei λύρα τρίχορδος, atque Macrob. sat. I 19, 15 et Schol. Pind. hypoth. Pyth. p. 297 Boeckh., ubi ei τετράχορδον adscribitur. Cui supplemento quid etiam inserendum sit, ex § 40 perspicitur, cf. infra p. 94. Tamen ab Apolline ceteras fides esse adinuentas alibi non legi. De lyrae inuentione eiusque chordarum numero doctissime disputauit Volkmannus ad Plut. de mus. p. 70 sqq. 153 sqq. —

§ 33 „Idem Mercurius et palaestram mortales primus docuit." Test.: Apollod. ap. Schol. Hom. ψ 198; Diod. I 16; Lactant. diu. inst. I 10; Seru. ad Verg. Aen. VIII 138; al. —

§§ 34. 35 „Ceres alumno suo Triptolemo boues domare et fruges serere demonstrauit." „al. s. Tript." uerba transposuit Knaackius p. 600. § 34: Colum. de re rust. VI praef. 7 „bos . . . Atticis Athenis Cereris et Triptolemi fertur minister"; Plin. n. h. VII 199 „bouem et aratrum Buzyges Atheniensis, ut alii Triptolemus"; Isidor. or. XVII 1, 2 „primum ad aratrum boues iunxisse ferunt . . . . Triptolemum". — § 35: Eodem modo, quo apud Hyginum

narratur, tritissimum hoc εὑρ. tradunt Diod. V 68, 2; Paus. I 14, 2 cf. 38, 6; Apollod. bibl. I 5, 2. Ex poetis tetigerant hoc inuentum Panyassis: cf. Apollod. l. l.; Choerilus: cf. Paus. l. l.; Sophocles in *Triptolemo*: cf. Strab. I 2, 20. —

§ 36 „qui cum seuisset et sus quod seuerat effodisset, suem comprehendit et duxit ad aram Cereris et frugibus super caput eius positis eidem Cereri immolauit. inde primum inuentum est super hostias molam salsam imponere."

Valde notabilis est haec paragr. Primum enim luculenter ea demonstratur, quomodo heuremata cum aetiologiis misceantur. Nam cum εὑρήματος summa in eo posita sit, quod Triptolemus primus Cereri suem immolauit, tamen simul causa explicatur, cur Cereri sues nec uero aliae uictimae mactentur. Eandem huius moris causam referunt Varro de r. r. II 4, 9; Ouid. met. XV 111 sqq.; cf. fast. I 349 sq.; Seru. Verg. ge. II 380; quibus tamen locis Triptolemi mentio non fit. Deinde cum illo inuento coniuncta est aetiologia ritus, ex quo sacrificantes capitibus uictimarum οὐλοχύτας imponere solebant. Tum ex οὐλοχύταις uel frugibus et primitiis a Triptolemo sacrificatis falsissime deducitur Romanorum usus molae salsae, quod alterum huius § εὑρ. est. Testimonia non inueni. —

§ 37 „Velificia prima inuenit Isis, nam dum quaerit Harpocratem filium suum rate uelificauit." „prima" pro „primum" correxit Knaackius. Cassiod. uar. V 17 „Hoc (i. e. uelum) Isis rati prima suspendit, cum per maria Harpocratem [1]) filium suum audaci femina pietate perquireret"; cf. Mart. Cap. II 158 p. 44 Eyss. [2]) „Isis (in

---

1) Editio Garet. exhibet „Apochran".

2) Hoc Martiani Cap. loco paruus inuentorum δαιμόνων index legitur hic: „uitem Dionysus apud Thebas, Osiris apud Aegyptios haustum uini usumque comperiens, frumentum Isis in Aegypto, Triptolemus apud Atticos docuere. eademque Isis

Aegypto) lini usum sementemque monstrauit", quanquam num „linum" de uelo intellegere liceat, dubium est. De Iside filium quaerente cf. Minut. Fel. Oct. 22; Lactant. inst. diu. I 21. —

§ 38 „Minerua prima nauem biproram Danao aedificauit, in qua Aegyptum fratrem profugit." Eisdem fere uerbis idem inuentum legitur fab. 168. Praeterea saepius ab iis commemoratur, qui fabulam de Aegypto et Danao narrant: Apollod. ap. Schol. Venet. ad Hom. Α 42; cf. Apollod. bibl. II 1, 4, 7; Phauorin. s. u. Δαναοί; Schol. Strozz. ad Germ. Arat. p. 172, 12 Breys. De principatu aetatis autem disceptantes Iasonis Argo et Danai Danaidem faciunt Schol. Apoll. Rh. I 4 et Schol. Eur. Med. 1. Paulo aliter rem expressit Plinius n. h. VII 206 „naue primus in Graeciam ex Aegypto Danaus aduenit."

Quoniam singula percensuimus, iam quid de catalogorum indole iudicandum sit, deliberemus. Ac primo quidem obtutu unicuique apparet miserrime esse corrupta ac mutilata, quae aetatem tulerunt. Compluribus enim locis narratio hiat: non solum initium capitis 274 praecisum est, sed etiam media in narratione capitis 277, ante § 32, compluria certe uerba intercidisse in propatulo est; praeterea, quae leuioris sunt momenti, lacunas deprehendimus in §§ 2. 8. 27. Deinde singulis uerbis corruptis textus foedatus est, e. g. §§ 22. 23. 24. 28. Tum ordinem etiam uerborum non semel turbatum cernimus, e. g. §§ 3 et 34. Accedit, quod rerum quoque ordo saepius dissolutus esse manifesto proditur. Nemo enim, qui sanus est, certamina quadrigarum (§ 10) inferret in narratio-

---

lini usum sementemque monstrauit. comminuendae frugis farrisque fragmenta Pilumno adsignat Italia. adscribit Asclepio Graecia medicinam."

nem, quae est de metallis inuentis (§§ 7—11); locus, quo agitur de instrumentis musicis (§§ 25—28), ineptissime interrumpitur § 26: „in Sicilia frumentum Ceres", quod quidem εὕρ. coniungendum[1]) fuit cum § 34 sq., ubi inuenta tractantur, quae ad agriculturam pertinent et quae Cereri debentur. Denique eae maxime narrationes, quae paulo uberius ac uerbosius perscriptae sunt, §§ 18. 27. 36, adeo inconditum dicendi genus produnt, ut facere non possimus, quin deprauatam esse memoriam censeamus.

Attamen catalogo, quem tenemus, non deest propria indoles. Id quidem haud magni aestimabimus, quod longe pleraque εὑρημάτων e Graecis fabulis repetita sunt; non enim certum consilium persecutus est, qui catalogum Hyginianum conscripsit, sicut Christiani illi fecerunt, de quibus supra disserui. Quamnam uero ad regulam ac rationem materias ex uniuersa inuentorum copia elegerit, prorsus ambiguum est atque obscurum. Nam inter narrationes uulgares leguntur etiam, quae uel rarissime uel nusquam praeterea commemorentur, cuiusmodi sunt §§ 1—3. 6. 16 —18. 36. 37. In aliis autem heurematis id offendit, quod res, quamuis ipsae in ceteris quoque catalogis reperiantur, tamen inuentoribus adsignantur, qui plane noui inauditique sint: cf. § 7 cum Plin. n. h. VII 197 et Clem. §§ 17. 29; § 22 cum Plin. VII 203 et Clem. §§ 1. 6. Atque ab altera parte tritissimae res omittuntur, uelut desiderantur inter metalla (§§ 7—11) ferrum, inter instrumenta musica (§§ 25. 27 sq. 32) tibia, inter litterarum inuentores (§ 31) Phoenices, inter medicinae inuentores (§ 15 sqq.) Aegyptii.

Multo autem grauius habendum est aliud quoddam. Animaduertimus enim in § 2 ad descriptum antiquorum morem

---

1) Nec uero secludendum est cum Schmidtio, certant enim de laude frumenti a Cerere inuenti Attica et Sicilia, cf. Plin. n. h. VII 191.

esse adnexum heurema, ita ut ex inuento repetatur *αἴτιον* moris; similia §§ 27 et 36 continentur, quae uel ad aetiologica uel ad antiquitates spectant. Ac simul iidem loci fusius pertractati sunt, quam in catalogis heurematicis fieri solet, quin etiam § 18 (de Agnodice) exhibetur fabula heurematographica copiosissima ac pleno ordine enarrata. Illud autem catalogi Hyginiani prae ceteris proprium est, hoc praeterea solo in catalogo Gregorii Naz. deprehenditur (§§ 8 et 10).

Quid? nonne iam eo peruenimus, ut disceptare possimus, quae necessitudo intercedat inter caput 274 et 277? Adhuc enim uiri docti hanc quaestionem non soluerunt. Schneider quidem, qui controuersiam mouit (cf. infra), haec capita non eiusdem originis esse contendit. Bursianus autem, quanquam Schneideri sententiam recte refellit, ambobus capitibus unum effici corpus non demonstrauit. Tamen facillime euinci potest. Indole enim, qualem modo descripsi, cap. 274 et cap. 277 inter se simillima sunt et inprimis monendum est, quae Hyginianae narrationis propria sunt, dico quae ad aetiologica et ad antiquitates pertinent, pari modo reperiri in cap. 274 (§§ 2. 27) atque in cap. 277 (§ 36). Accedit aliud quoddam. Namque quanquam totum fere catalogi argumentum e Graecis fabulis manauit, auctorem etiam Romana doctrina hortulos suos irrigauisse apparet: hae autem narrationes Romanae non solum deprehenduntur in fab. 274 (§§ 27. 28. 30), sed etiam in fab. 277 (§§ 31^{a}. 31^{h}. 31^{i}. 36).

Ergo fab. 274 et fab. 277 separari nequeunt. Nec uero diiudicare nobis licet, utrum caput praeponendum sit. Sed concedo arridere mihi sententiam Schmidtii, qui coniecit caput 277 olim exordium totius catalogi fuisse (cf. adn. ad fab. 277). Hoc enim modo si capita coniunximus, ordo haud ita abhorret a Pliniani catalogi ordine. In quo agmen ducunt deorum heuremata, quae excipiunt litterae: apud

Hyg. autem litterae non inepte ante deorum inuenta ponuntur, quoniam apud hunc etiam in litterarum inuentione deis primae dantur partes. At mittamus hoc.

Tamen classes saltem certae materiarum facile distinguuntur: §§ 1—3 enim agitur de uino; §§ 7—9 et 11 de metallis; § 12 sq. de deorum cultu; §§ 15—18 de arte medicina; §§ 25 et 27 sq. de instrumentis musicis; § 31 de litteris; §§ 32—38 de deorum inuentis.

Restat, ut de origine quaeramus. Repudiandi nimirum sunt, qui opinentur [1]) inuentorum catalogum, sicut indices illos rerum memorabilium ad usum scholarum confectos (fab. 221 sqq.), ex ipsis Hygini fabulis excerptum esse. Nam inter 38 inuenta catalogi, quem tractamus, quattuor reperiuntur, quae in fabulis enchiridii eiusdem commemorantur: § 13 sq. cf. fab. 143, § 35 cf. fab. 147, § 38 cf. fab. 168, ita ut haec heuremata ex illis desumi potuisse dicere nobis liceat. Praeterea cum in fabulis eaedem res tangantur atque in catalogo, in hoc tamen plus refertur: nam cum fab. 39 Perdix serram inuenisse dicatur, in catalogo exhibetur: „serram ex piscis spina" (§ 20), itemque cum fab. 138 Chironi ars medica adsignetur, in catalogo accuratius legitur: „artem medicinam chirurgicam ex herbis" (§ 15). Ab altera autem parte alia inuenta in fabulis occurrunt, quae in catalogo desiderantur: fab. 129 sq. de uino; fab. 144 de igni; fab. 165 de tibiis.

Deinde Schneideri opinionem iam complures uiri docti hic illic repudiauerunt. Suspicatus enim ille erat (p. 50 sqq.)

1) Quo in numero est Schmidtius, qui cum (praef. p. XV. XXVII sq. XXXIII sqq.) in altera enchiridii parte, quaecumque cogitari possunt, temporum iniquitate excidisse contenderit, tamen (p. XXXVI adn.) quinque saltem heurematum originem latere ipse profitetur; at plus sedecim inuenta praeterea restant, quae unde in cap. 274 et 277 irrepserint, ille nos non docet.

capitis 274 materiem e Vergilio esse haustam, capiti 277 autem Callimacheam — scilicet ex *Aetiis* deductam — doctrinam subesse. Sed singulis recensitis Bursianus (p. 782 sq.) caput 274 totum rectissime negauit deriuatum esse e Vergilii carminibus eorumque commentariis, et ipse modo euicisse mihi uideor ambo capita ex uno eodemque fonte manauisse.

Quis autem fuerit Hyginiani catalogi fons, erui nequit. Concedo quidem paucas particulas ex Hygini fabulis (§§ 13 sq. 35. 38), nonnullas e Seruii commentariis (§§ 12. 19 sq. 28. 33), alias e Plinii catalogo heurematico (§§ 4 sq. 8. 23. 25. 26. 29) repeti potuisse. Maior uero pars inuentorum eius modi est, ut de origine eorum nihil conicere liceat; immo non pauca eorum omnino non commemorantur apud alios auctores. Tamen cui generi litterarum fons adscribendus sit, sine ulla haesitatione indicare licet. Primum enim tot tamque dissimiles inter se res catalogo in unum comprehenduntur, ut eas ad conlectionem εὑρημάτων reuocare debeamus. Deinde ipsa complurium narrationum indoles heurematicorum studium manifesto prodit. Addas quod non paucae narratiunculae partim uel eisdem uerbis uel fusius in Plinii catalogo leguntur, partim eis, quae hic tradit, comprobantur (cf. §§ 15. 34. 38 cum Plin. n. h. VII 196. 199. 206): Plinium enim ipsum e libris heurematicorum hausisse infra intellegemus. Itaque dubium non est, quin summa capitum 274 et 277 ad Graecorum περὶ εὑρημάτων libros recedat, cui quaedam adiecerit Romanus nescio quis grammaticus.

Atque tota corporis Hyginiani pars tertia quo tempore composita sit cum ignoremus, inuentorum tamen caput ante quem terminum confectum sit accuratius definiri licet. Dositheus enim magister, qui anno p. Chr. n. 207 enchiridium Hyginianum excerpsit et in Graecum sermonem transtulit, inter inscriptiones capitum etiam περὶ τεχνῶν

εὑρέσεως exhibet, unde appareat iam ante hunc annum caput, quo de rebus inuentis ageretur, cum fabularum libro, quem tenemus coniunctum fuisse.

Denique curnam εὑρημάτων catalogus in mythologicum enchiridium receptus sit, eis quaerendum erit, qui de tota tertia enchiridii parte disputabunt. Inter alias utique eius rei causas etiam hoc monendum erit, plurima εὑρετῶν nomina et argumenta quoque narratiuncularum arte cohaerere cum historia fabulari.

At longius iam procedere nobis licet. Animaduertimus enim Hyginiani catalogi narratiunculas complures a Cassiodorio [1]) in *Variis* adferri, quo e numero nonnullae uel uno Cassiodorii testimonio comprobentur (§§ 9ᵃ. 11. 30. 31ᵇ. 37). In eodem [2]) autem Cassiodorii opere etiam ea inuenta reperiuntur, quae apud Hyginum desiderentur. Exsistit igitur quaestio, unde ille ea didicerit.

Cassiodorius enim Senator ut epistolarum publicarum, quas conlectas titulo *Variarum* inscripto edidit, aridam molestamque materiem distingueret atque exornaret, hic illic digressiones [3]) doctas intexuit, quibus exquisitae

1) Primus Muncker Cassiodorii locos in testimonium uocauit, cf. Stauereni comment.

2) In ceteris tamen Cassiodorii operibus perraro heuremata commemorantur, e. g. de art. ac disc. 3 p. 553ᵇG: de arithmetica et astronomia; l. l. 5 p. 556ᵃ de musica, haec autem non e fonte heurematico manauisse appicta auctorum nomina indicant.

3) De his accuratius quaerere operae pretium mihi uidetur fore. Nam, ut unum moneam, maiore cum probabilitate, quam adhuc factum est, diiudicari posse existimo, utrum digressiones in conscribendis iam singulis epistolis an in paranda demum epistolarum editione adiectae sint. Nouissimus, ni fallor, de *Variis* disputauit Schaedelius *Plin. d. Juengere u. Cass. Sen.* 1887. Ante omnia autem desideramus editionem

eruditionis studiique exempla indoctis suae aetatis hominibus proponeret. Quibus in digressionibus inter alias multas res 22 *εὑρήματα* deprehenduntur, quae pari modo per totum *Variarum* opus dispersa sunt. Haec uero cuncta ex eodem fonte hausta esse, ex quo catalogus Hyginianus manauit, certis argumentis euincitur.

Ac primum quidem sicut Hyginiana, ita Cassiodorii quoque inuenta ad librum aliquem *π. εὑρ.* conscriptum referenda sunt. Prae ceteris enim heurematicorum consuetudinem sapit locus, quo res, quomodo sese habuerint ante *εὑρ.* perpetratum, describuntur [1]): uar. I 30 „Inter ipsos quoque aduersarios . . . non erant prius armata certamina, sed pugnis se quamlibet feruida lacessebat intentio: unde et pugna nomen accepit; postea Belus ferreum gladium primus produxit, a quo et bellum placuit nominari“ (cfr. supra p. 77 sq.). Itemque optime ad heure-

---

ad fidem librorum recensitam; ego quidem usus sum Garetiana Venetiis a. 1729 in lucem emissa.

1) Hoc enim librorum heurematicorum proprium fuisse reliquiis demonstratur. Nam apud Theophrastum *ἐν τῷ Περὶ εὑρημάτων* (fr. 2 Eichh.) narratum fuit: *„πρὶν ἢ μάθωσιν οἱ ἄνθρωποι ἀλεῖν τὸν Δημητριακὸν καρπόν, οὕτω σώας (τὰς κριθὰς) ἤσθιον“*. Eiusdemque generis pauca in Pliniano *εὑρημάτων* catalogo residua sunt: n. h. VII 191 „Ceres frumentum, cum antea glande uescerentur“; VII 194 „antea specus erant pro domibus“; VII 206 „antea ratibus nauigabatur“; VII 209 „tectas longas (naues) Thasii, antea ex prora tantum et puppi pugnabatur“. Atque hac quoque re uerisimile fit libros qui erant *π. εὑρ.* non modo nomina enumerata, sed etiam narrationem contextam praebuisse (cf. supra p. 74 adn. 1). Longius autem iusto processisse mihi uidetur Preller *Aufs.* p. 206 contendens: *„von den Culturhistorikern pflegten sich diejenigen, welche einen βίος Ἑλλάδος oder περὶ εὑρ. geschrieben, seit Theophrast u. Dikaearch in der Ausmalung der ursprünglichen, dürftigen Einfalt u. Kümmerlichkeit ganz besonders zu gefallen.“*

maticum fontem quadrant etymologiae in heurematis adlatae: cf. praeter duas loco transscripto exhibitas uar. VI 18 „de Pane panis" et VII 32 „pecunia de pecude" (cf. supra p. 36 sq.). Accedit, quod Cassiodorii inuentorum, quae apud Hyginum desunt, non pauca ceteris catalogis heurematicis — dico Christianorum et Plinii — adfirmantur, qua re similis origo indicatur.

Deinde Cassiodorii heuremata Hyginiano catalogo ea re respondent, quod apud Cassiodorium quoque nonnulla deprehenduntur, quae a Romano aliquo auctore Graecae doctrinae addita esse apparet (cf. supra p. 87). Etenim quod uar. III 51 legitur: „Primus (spectaculum curruum agitandorum) . . . Oenomaus fertur edidisse, quod postea Romulus in raptu Sabinarum . . . ostentauit Italiae", nonne prorsus quadrat ad Hyg. § 27: „. . . quod exemplum hodie Romani seruant"? Addas uar. VII 5 „fabricas primum Cyclopes dicuntur . . in Sicilia condidisse . . ; . . inde ad Italiam fabricandi peritia legitur fuisse translata"; uar. VII 15 „Tusci statuas" (cf. quae supra p. 11 ad Tat. § 11 adnotaui); uar. VII 32 „monetam Seruius".

Tum ex 22 inuentis Cassiodorii nouem cum iis conspirant, quae in Hygini enchiridio exhibentur; ex ceteris autem duo inuenta cum duobus prioris classis artissime coniuncta leguntur: uar. VI 18 „Sic Ceres frumenta dicitur inuenisse [1]). Pan autem primus consparsas fruges coxisse perhibetur . . ."; itemque uar. V 17 in eadem epistola narrantur uelificia ab Iside (= Hyg. § 37) et triremis ab Argonautis inuenta esse.

Denique et Cassiodorius et Hyginus qui dicitur cor-

---

1) Cf. Hyg. § 26; hoc uero Cassiodorii testimonium supra in commentario meo adferre nolui, quia Cassiodorius locum, ubi inuentio facta esset, adnotare omisit, qui in hoc quidem inuento summi momenti est.

ruptelam quandam praebent eandem, si quidem quae ad Hyg. § 13 protuli, recte disputata sunt.

At dicat quispiam exstare locum, quo Cassiodorius Hyginianae narrationi repugnet. Var. III 31 enim aeris inuentor nominatur Ion [1]), Thessaliae rex, Hyg. § 7 autem eiusdem inuenti palma Cadmo defertur. Quo ex dissensu Knaackius secundum suam sententiam [2]) Hyginianum textum corruptum esse ratus heurematis honorem Cadmo detractum ad Ionem detulit, quamuis testimoniis egeret. Ego quidem quoniam Hyginianam narrationem non ineptam euicisse mihi uideor, in fonte communi — sicut esse solebat in libris heurematicis — utramque memoriam traditam fuisse suspicor, quarum suo arbitrio alter alteram elegerit.

Ergo quae Cassiodorius *Variarum* libris immiscuit, inuenta ad catalogum Hyginianum addere nobis licet, quibus coniunctis propius ad communem utriusque auctoris fontem accedamus. Itaque eorum, quae ille suppeditat,

1) Corr. Wilamowitzius pro „Ionos", cf. Knaack. p. 588 n. 1.

2) Coniecit enim uir doctus Cassiodorium heuremata sua ipso ex Hyginiano catalogo deprompsisse, qui temporum iniquitate miserrime foedatus nunc quidem uastis hiaret lacunis. Quam ad opinionem ea sola causa inductus est, quod et Hyg. § 9 et Cass. uar. IV 34 Indi nomen corruptum esse putauit. At falso insimulatam esse memoriam, quam Hyg. et Cass. tradunt, supra p. 69 sq. probare conatus sum, praeterea communis corruptela quaedam etiam ita explicari potest, ut e communi fonte deducatur (sicut ipse feci in Hyg. § 13 tractata), nam ueterum iam libros mendis librariorum inquinatos fuisse nemo nescit. Illo autem argumento remoto nihil restat, nisi quod Cassiodorius nouem inuenta commemorat, quae eisdem fere uerbis in Hyg. catalogo narrantur. Tamen non solum in singulis quibusdam (uar. III 51 cf. Hyg. § 10; uar. I 30 [uid. supra p. 91] cf. Hyg. § 30) ille plus exhibet quam Hyginus, sed addit etiam tredecim inuenta, quae apud Hyg. desunt.

inuentorum [1]) indicem ita appingam, ut numerorum, quibus Hyginiana heuremata insigniui, seriem producam.

Heuremata e Cassiodorii *Variis* conlecta.

§ 39 uar. I 2. (De purpura.) „Verum talis tantaque res quam facili legitur inuenta compendio! cum fame canis auida in Tyrio littore proiecta conchylia impressis mandibulis contudisset, illa naturaliter humorem sanguineum defluentia ora eius mirabili colore tinxerunt. et ut est mos hominibus occasiones repentinas ad artes ducere, talia exempla meditantes fecerunt principibus decus nobile de re, quae substantiam noscitur habere mediocrem.“ Addas ad Hyg. § 23. Cf. Gregor. § 10.

§ 40 uar. II 40. „(Citharam) ad imitationem uariae testudinis Mercurius dicitur inuenisse“ [2]). Coniungas cum § 32.

§ 41 uar. III 31. „Aes Ion [cf. supra p. 93 adn. 1] Thessaliae rex (repperit).“ Coniungas cum § 7.

---

1) Knaackio (p. 592 n. 4) adsensus omisi uar. IV 51 „orchestarum (*corr. Knaack. pro* horcistarum) artem a Polyhymnia musa inuentam esse“, cum tota huius epistolae digressio ad libellum de rebus scaenicis conscriptum referenda sit. Eodem pertinent duo praeterea inuenta, quae eodem loco leguntur: „Athenienses primum agreste principium (theatri) in urbanum spectaculum conlegerunt“ et „Mimus . . . . tanta Philistionis cautela repertus est, ut eius actus poneretur in litteris“. — Porro ea inuenta, quae e rebus Iudaicis repetita sunt, non respexi, quia ab indole catalogi Hyg. abhorrent.

2) De huius quidem inuenti origine dubitari potest, cum copiosae de arte musica disputationi intextum legatur. Sed e diuersis fontibus Cassiodorius ipse, quae excursu huius epistolae protulit, composuisse mihi uidetur, inter alia enim dictum quoddam Terent. Mauri (de metr. 1580 sq.) exhibet; atque inuentum prorsus accommodatum est ad Hyg. catalogi indolem.

§ 42 uar. III 52 uerbose exponitur 'geometriam primos Chaldaeos, deinde Aegyptios inuenisse; hos autem ad inuentionem inductos esse Nili inundationibus, quibus quotannis agrorum termini ablueruntur' (cf. Herod. II 109; Strab. XVI 2, 24; al.). Addas ad § 22. Cf. Tat. § 7.

§ 43 uar. V 17. „Trireme uehiculum . . . primum instituisse legimus Argonautas." Addas ad § 38. Cf. Plin. n. h. VII 207.

§ 44 uar. VI 18. „Pan primus consparsas fruges coxisse perhibetur, unde et nomine eius panis est appellatus." ad § 26 et § 34 sq.

§ 45 uar. VI 21. „(Chlamys purpurea), quam filio suo Priapo ⟨*suppleas* prima⟩ Venus dicitur texuisse, ut eximiae pulchritudinis matrem singulariter ornatus filius testaretur." ad §§ 23 et 39.

§ 46 uar. VII 5. „(Fabricas) primum Cyclopes dicuntur ad antrorum modum amplissimas in Sicilia condidisse, postquam in cauernis montium Polyphemus ab Ulysse singularis oculi lugendam pertulerat orbitatem. inde ad Italiam fabricandi peritia legitur fuisse translata." ad §§ 7—11 et 19 sq. Cf. Tat. § 16 et Plin. n. h. VII 198.

§ 47 uar. VII 15. „(Statuas) primum Tusci in Italia inuenisse referuntur." ad § 21. Cf. Tat. § 11.

§ 48 uar. VII 32. „Pecunia a pecudis tergo nominata Gallis auctoribus sine aliquo adhuc signo ad metalla translata est."

§ 49 ibidem. „(Monetam) Seruius rex in aere primus impressisse perhibetur." ad §§ 7 sqq., 46, 48.

§ 50 uar. VIII 31. (Palamedes calculos inuenit.)[1])

---

1) Quanquam apud Cassiod. nihil legitur nisi „Palamediaci calculi", tamen sub hac singulari atque arcessita appellatione heurema latere suspicatus sum; cf. Gregor. § 2 supra p. 43 sqq. Quicumque autem me haec uerba recte intellexisse

§ 51 uar. XI 38. „Pulchrum plane opus (i. e. chartas) Memphis ingeniosa concepit, ut uniuersa scrinia uestiret, quod unius loci labor elegans texuisset“ [1]).

Caput septimum.

Inter omnes quicumque aetatem tulerunt εὑρημάτων catalogos et uetustissimus et copiosissimus apud C. Plinium Secundum legitur. Cuius singula heuremata accurate examinare atque illustrare supersedebo, ne libelli mei moles nimis crescat — non paruum autem numerum eorum supra passim iam tractaui —. De fontibus uero catalogi licet Eichholtzio [2]) in uniuersum quidem adsentiar, tamen quaestiones meas propterea non omittendas censui, quod et aliam ingressus sum uiam et in minutioribus quibusdam rebus ad certiorem finem peruenisse mihi uideor.

---

iudicauerit, in fonte Cassiodorii etiam cetera aut certe alia Palamedis inuenta narrata fuisse mecum coniciet.

1) Cf. Isidor. orig. VI 10, 1 „chartarum usum primum Aegyptus ministrauit, coeptum apud Memphiticam urbem. Memphis enim ciuitas est Aegyptiorum, ubi chartae usus primum inuentus est.“ Praeterea apud Cassiodorium narratur ante chartam usu receptam ad scribendum adhibitus esse arboris cortex, de quo nomen libri deriuandum sit: id quod optime quadrat ad fontem heurematicum (cf. supra p. 91). Sed concedo in epistola, qua εὕρ. continetur, fusius de chartae natura disputatum esse, ita ut εὕρ. a ceteris inuentis seiunctum ad alium aliquem fontem reuocari possit, praesertim cum etymologia illa in simili conexu iteretur de art. ac disc. praef. p. 528^{b}; tamen necessarium non est.

2) Eichholtzius p. 14—24 de Plinii catalogo disseruit; p. 16 adnotauit: „Brunnii dissertationem de fontibus Plinii non uidi“.

Quam rationem Plinius in *Historia Naturali* conscribenda et in auctorum indicibus componendis secutus sit, Brunnius [1]) primus docuit. Cuius legibus nixi, postquam e narratione ipsa numquid de compositione et de origine catalogi discamus periclitati sumus, consulamus auctorum indicem.

Nat. Historiae libro septimo, quo de hominis natura disputans uaria multa exempla et mirabilia congessit, quae ad facultates et corporis et ingenii spectant, fere extremo (VII 191—209) Plinius inuentores quoque rerum recensuit, ut, id quod initio libri (VII 1) dixit, „omnia exsequi posse humanum animum" demonstret. Praefatus igitur „Consentaneum uidetur, priusquam digrediamur a natura hominum, indicare, quae cuiusque inuenta sint", 179 heuremata enumerat. Quorum cum catalogum ipsum transscribere et longum sit neque oporteat, quandoquidem Plinii opus omnibus praesto est, argumentum et ordinem breuiter adumbremus.

Enarrat autem Plinius haec: §§ 1—6 deorum quorundam inuenta (VII 191); § 7 de litteris (VII 192. 193); §§ 8—21 inuenta quae ad aedificia hominum pertinent (VII 194. 195); §§ 22—28 quae ad uestimenta spectant; §§ 29—31 de medicina (VII 196); §§ 32—57 de metallis, fabricis, ferramentis (VII 197. 198); § 59 sq. uaria; §§ 60—65 quae ad culturam agri spectant (VII 199); §§ 66—70 quae ad rem publicam (VII 200); §§ 71—106 quae ad rem militarem pertinent (VII 200—202); §§ 107—115 de diuinatione et astrologia (VII 203); §§ 116—133 de arte musica (VII 204); §§ 134—137 de poesi et de prosa oratione; §§ 138—141 de ludis; § 142 de pictura (VII 205);

---

1) *De auctorum indicibus Plinianis* 1856. Cf. Urlichsium *Annal. phil.* 75 (1857) p. 336 sqq.; Detlefsenium *Philol.* XXVII 1869 p. 702; al.

§§ 143—177 de re nauali (VII 206—209); § 178 sq. qui primi animalia occiderint (VII 209).

Cernimus igitur catalogum ad rerum inuentarum materias dispositum esse, nisi quod initio deorum inuenta conlocata sunt. Atque hic quidem ordo, cuius uestigia in Hyginianis quoque excerptis, quanquam haec multo parciora sunt, supra p. 88 deteximus, cum argumento narrationis optime congruit ac fere necessarius esse uidetur, ita ut uix dubitem, quin etiam in libris π. εὑρ. ipsis obseruatus fuerit. Qua ex compositionis lege factum est, ut non semel iidem inuentores diuersis locis proferantur. Sicut Cadmus commemoratur primum, ubi de litteris agitur § 7[id]; deinde ubi de inuentis ad aedificia hominum spectantibus § 19; tum ubi de metallis § 36; itemque Palamedes (§§ 7. 54 sq. 100 sqq.), Danaus (§§ 18. 143), Daedalus (§§ 43 sqq. 167 sq.) alii compluriens nominantur. Iniuria igitur in hac re indicium diuersorum fontium esse positum Detlefsenius iudicauit *Mus. Rhen.* XVIII 1863 p. 239.

Nonnullis uero locis ordo turbatus est. Bis enim ad nomen inuentoris adnexa sunt heuremata ab argumento tractato aliena; VII 197, ubi dicitur de metallis, haec leguntur: „auri metalla et flaturam Cadmus . . . aut Aeacus in Panchaia aut Sol Oceani filius, cui Gellius medicinae quoque inuentionem ex metallis adsignat; plumbum . . .“: de medicina tamen antea iam sermo fuit VII 196. Similique modo VII 195 interrumpitur series inuentorum, quae ad aedificia hominum spectant: (§ 12 sqq.) „tegulas inuenit Cinyra et metalla aeris, utrumque in insula Cypro, item forcipem, martulum, uectem, incudem; puteos Danaus . . .“; metalla enim aeris rectius ad § 32 sqq., forceps autem et q. s. ad § 40 sqq. referenda erant. Haec quidem leuiora sunt. At grauius § 58 sq. offendunt: (VII 199) „uehiculum cum quattuor rotis Phryges, mercaturas Poeni“. Quae heuremata inter caput, quo de fabricis ferramentisque, et, quo

de agricultura quaeritur, interiecta cum neutro ulla necessitudine cohaerent atque eo suspectiora sunt, quod utrique alius praesto est locus accommodatissimus. Nam § 58 „uehiculum cum quattuor rotis Phryges" simillima est § 98 sq. „bigas prima iunxit Phrygum natio, quadrigas Erichthonius" (VII 202) et § 59 „mercaturas Poeni" aptissime coniungi potuit cum § 1 „emere ac uendere instituit . . † . .[1]) Liber pater". Qua de causa non sine probabilitate contendere licet haec ambo heuremata a Plinio, cum liber iam conscriptus esset, ex alio aliquo fonte addita esse. Constat enim inter omnes Plinium opere absoluto exempla conligere non desiisse, ut quae scripserat amplificaret, postea autem, quae ille in margine adnotauerat, falso plerumque loco in textum irrepsisse. Nec scio an item inter supplementa eiusdem generis numeranda sint, quae agmen inuentorum claudunt, § 178 sq.: „animal occidit primus Hyperbius Martis filius, Prometheus bouem", quoniam mirum in modum haec heuremata eis adnectuntur, quae ad rem naualem pertinent (§§ 143—177).

Haec conliguntur ex ordine rerum. Nunc consideremus argumentum ipsum. Ac manifestum est narrationem fere totam redire ad Graecam doctrinam. Etenim plerique inuentores sunt Graeci aut certe Romanis per Graecos cogniti neque ullo uerbo (una re excepta, § 7[1]) res Romanae respiciuntur, quanquam in catalogis et Christianorum et Hygini eiusmodi compluria animaduertimus et Plinius ipse in ceteris *Hist. Nat.* libris magnam Romanorum inuentorum copiam litteris mandauit. Deinde sermo quoque nonnullis locis Graecorum consuetudinem sapit. Namque § 118 legitur „Pan Mercuri", § 155 „Demetrius Antigoni",

1) Hiat procul dubio hic locus, excidisse uidentur et nomen Mercurii et inuentum aliquod Bacchi: cf. Osannium *Philol.* VII 1852 p. 394 et Urlichsium *Ann. philol.* 77 (1858) p. 488 et *Vindic. Plin.* 1866 p. 133.

§§ 91 et 171 „Pisaeus Tyrrheni" uoce filii omissa (cf. Detlefsenium l. l.). Accedunt uerba quaedam Graeca: § 2 „diadema, regium insigne" (cf. supra p. 36 adn. 1), et § 71 „fustibus quos uocant phalangas".

Ex Graecis igitur fontibus summam narrationis deriuatam esse apparet, atque si ingentem et multifariam inuentorum copiam considerauerimus, Plinii auctores haud dubie quaeremus inter heurematographos. Quorum nomina ut comperiamus, auctorum libri VII indicem inspiciamus.

Graeci autem auctores, quos se ad librum VII conscribendum consuluisse Plinius profitetur, in tres summatim classes distinguuntur. Quarum prima — sunt auctores inde ab Herodoto usque ad Artemidorum — spectat ad libri VII caput secundum (VII 10—32), quo de „gentium mirabilibus figuris" disserit Plinius; altera — dico auctores inde ab Hesiodo usque ad Xenophontem — pertinet ad caput IL (VII 153—159), quod est „de spatiis uitae longissimis"[1]; de tertia uero classe nunc accuratius quaeramus. Quod quo facilius fiat, nomina auctorum locis, quibus in narratione libri laudantur, appictis transscribam:

Callimachus VII 152. Democritus VII 189. Diyllus —. Strato —. Heraclides VII 175. Asclepiades —. Philostephanus VII 207. 208. Hegesias VII 207. Archemachus VII 207. Thucydides VII 207. Mnesigito VII 207. 208. Xenagoras VII 207. Metrodorus VII 89. Anticlides VII 193. Critodemus VII 193.

Ac primum quidem inter eos Callimachum, cuius sententia iam VII 152 prolata est, suum locum in indice obtinere Brunnius negauit; nam ponendus erat ante auc-

---

1) Hoc capite Plinium re uera in *Nat. Hist.* componenda eam rationem, quam Brunnius patefecit, adhibuisse luculentissime ei probabitur, qui quae Valer. Max. VIII 13 „de senectute" narrat contulerit.

tores alterius classis, dico ante Hesiodum; Democritus pertinet ad VII 189; sed Diyllus historicus quo sit referendus, prorsus ignoramus, neque quid ei Plinius debuerit, e reliquiis eius paucissimis elici potest.

Iamuero ad fontes eius capitis, quo heuremata tractantur (VII 57, 191—209), peruenisse uidemur, secuntur enim in indice haec uerba: „Strato, qui contra Ephori εὑρήματα scripsit". Quo additamento quin Plinius adhibuisse se libros π. εὑρ. scriptos Stratonis indicare uoluerit, dubitandum non est. Namque si nihil egisset, nisi ut Stratonem a ceteris eiusdem nominis scriptoribus (cf. Laert. Diog. V 61) discerneret, eum melius appellauisset uel Theophrasti discipulum uel τὸν φυσικόν; id quod rectissime animaduertit Eichholtzius p. 20. Mittamus autem paulisper Stratonem eosque, qui hunc excipiunt, auctores et primum de eis disputemus, qui agmen claudunt.

Atque de tribus auctoribus, quorum nomina in fine indicis conlocata sunt, iudicium Brunnii repetere mihi licet. Nomina enim Anticlidis et Critodemi, qui in textu VII 193 laudantur, ipsa sede, quam in indice occupant, luculenter ostendunt post librum confectum demum adiecta esse quae VII 193 referuntur. Nec solum e lege Brunniana hoc sequitur, sed etiam re ipsa demonstratur. Nam quae VII 193 testimoniis Anticlidis, Epigenis, Berosi [1]), Critodemi exscriptis de uetustate litterarum apud Aegyptios et Babylonios narrantur, cum a natura catalogorum heurematicorum abhorrent, tum inepto loco inculcata sunt: ponenda erant potius initio VII 192, ubi de Assyriis, Aegyptiis, Syris sermo est. Praeterea supplemento isto

1) Epigenes et Berosus una cum Petosiri et Nechepso superiore iam indicis loco nominati sunt, nimirum inter Ephorum et Alexandrum Pol., quem quidem locum item iniuria tenent, cum in textu VII 160 demum laudentur.

extrema totius de litteris narrationis particula („in Latium eas attulerunt Pelasgi") diuellitur ab eis, quae de Graecis litteris dicta sunt. Neque aliud Plinius additamento egit, nisi ut suam sententiam, quam initio pronunciauerat, certis argumentis fulciret: VII 192 „Litteras semper arbitror Assyriis fuisse" cf. VII 193 „... ex quo apparet aeternus litterarum usus". Segreganda igitur a materie heurematica sunt, quae VII 193 leguntur, neque eis quicquam commune est cum reliquiis heurematicorum; Plinius ipse ea ex suis conlectaneis admiscuit. — Deinde Metrodori Scepsii nomen, quod ad narrationem VII 89 prolatam reuocandum est, non nisi ostentationis causa posteriore aliquo tempore indici subiunctum est.

Metrodorum antecedunt in indice quinque auctorum nomina, quae eodem ordine in narratione VII 207 et 208 leguntur. Neque haec quicquam faciunt ad quaestionem nostram. Nam Hegesias, Archemachus, Thucydides, Mnesigito, Xenagoras, itemque Ctesias, Damastes, Aristoteles — qui eodem narrationis loco laudantur, in indice autem iam supra suo quisque loco recensiti sunt, — cum nullus ex his auctoribus peculiare de inuentis opus composuerit, certum est Plinium unicuique eorum nihil nisi singula debuisse, quae nominibus eorum appictis narrantur. Nec dubito, quin horum sententias iam excerptas conlectasque Plinius e fonte suo acceperit.

Inter quattuor, qui supersunt, auctores unus non disputauit data opera *περὶ εὑρημάτων* Asclepiades. Cuius ad nomen Plinius adnotauit: „qui *τραγῳδούμενα* (sc. scripsit)", quo additamento hunc distingueret ab eiusdem nominis medico, qui supra inter auctores numeratus est (ad VII 124). Quid tamen ex Asclepiade siue Plinius ipse siue is, quem exscripsit, mutuatus sit, ignoramus, quia neque in libro nomen eius inuenitur neque fragmentis eius

alibi seruatis quicquam inest, quod cum Plinii catalogo congruat [1]).

Redeamus nunc ad Stratonem. Cuius cum nomen in narratione libri VII non reperiatur, ex huius opere, quippe cuius titulum aperte indicauerit, Plinium plurima deprompsisse uerisimillimum est. Accedunt autem causae, quibus uel magis commouemur, ut Stratonem in primariis fontibus ducamus. Quidnam? consentaneum nonne est Stratonem peripateticum de rerum inuentoribus quaestiones instituentem prae ceteris Theophrasti magistri libros de eadem materia conscriptos in usum uertisse? Hic autem in Plinii narratione quater in testimonium uocatur: VII 195 (bis). 197. 205. Qua de causa mirum est, quod Theophrasti nomen in libri VII auctorum indice omittitur, cum in 27 librorum indicibus recenseatur. Id nisi casui tribuendum est, contendere licet Plinium huius opus heurematicum manibus non tenuisse (cf. Eichholtzium p. 17). Stratoni igitur sententias Theophrasti reddamus.

Theophrasti autem reliquiis aliud quoque inter Pliniana εὑρ. addendum est, quod prae ceteris per Stratonis opus in Plinii catalogum manauisse uidetur. VII 198 enim legitur „in (figlinis) orbem Anacharsis Scythes, ut alii, Hyperbius Corinthius“. Cuius narrationis parte priore Ephori sententiam exprimi testatur Strabo VII 3, 9, parte altera Theophrasti Scholiasta Pind. Ol. XIII 27 (fr. 1 Eichh.). Atqui cum Stratonem de rebus inuentis disputantem Ephori sententiis impugnandis potissimum operam

1) Non intellego, quae Eichholtzius p. 20 de Asclepiade et Stratone dixit. Asclepiadis enim fr. 12 (Schol. Hom. Z 155) ne uocula quidem εὑρ. ullum significatur; Bellerophontem autem Pegaso equo usum esse iam ab Hesiodo, Pindaro, tragicis discere potuit heurematographus, quem secutus Plinius VII 202 Bellerophontem inuentoris laude ornauit. εὑρήματος testis est Schol. Pind. Pyth. V 6; Ol. I 139; XIII 27.

dedisse certis testimoniis traditum sit (cf. supra p. 74 adn. 1), eum, cum de rotae figularis repertore ageret, Ephori sententiam auctoritate Theophrasti magistri nixum refutauisse suspicamur, Plinium autem nominibus auctorum silentio praeteritis sententias et Ephori [1]) et Theophrasti ex Stratonis narratione descripsisse.

Deinde per eundem riuulum in Plinii catalogum fluxisse conicio, quae Aristotelis nomine laudato narrantur. Plinium enim ipsum haec ex operibus Aristotelis conquisiuisse uix quisquam credet, praesertim cum duo eorum εὑρημάτων, quae Plinius ad eius auctoritatem reuocat, etiam in Clementis catalogo alphabetico (A) legantur (cf. supra p. 29 sqq. et 34), quem consarcinatum esse cognouimus ex quattuor heurematicorum operibus, dico Scamonis, Theophrasti, Stratonis, Philostephani. Porro monendum est ter Aristotelis et Theophrasti sententias inter se oppositas coniunctasque esse: VII 195. 197. 205; id quod optime quadrat ad discipulum eorum.

Tum id aptissime cum Statonis operis indole congruere

1) Praeterea cum Ephori sententiis apud alios scriptores seruatis conspirant haec heuremata: VII 198 Phidonis mensurae et pondera (Strab. VIII 3, 33); VII 201 Artemonis testudines (Diod. XII 28, 3; Plut. Pericl. 27, 4; cf. Ungerum *Mus. Rhen.* XXXVIII 1883 p. 499); VII 209 Anacharsidis ancora bidens (Strab. VII 3, 9; Schol. Ap. Rh. I 1276). Potuerunt igitur fortasse haec quoque per Stratonis opus innotescere Plinio. Sed si quis intenderit Ephori ipsius π. εὑρ. opus inter primarios Plinii fontes numerandum esse propterea, quod nomen eius in auctorum indice exhibetur, argumentis sane redargui non poterit. Ego quidem Ephori nomen inter auctores laudatum sola ad ea pertinere arbitror, quae VII 154 eo teste producto referuntur; quam narratiunculam non ex Ephori libris ipsis Plinium protraxisse censeo, sed potius ex libro aliquo conlectaneo, quem eundem usurpauerit Valerius Max. VIII 13 (cf. supra p. 100 adn. 1).

uidetur, quod tam saepe complures et diuersae de inuentoribus memoriae adferuntur; saepius enim quam uiciens diuersi earundem rerum *εὑρεταί* inter se opponuntur.

Stratonem in indice excipit Heraclides Ponticus, de quo quid sit statuendum difficillimum est diiudicatu. In textu enim libri VII semel commemoratur atque multo ante caput, quo inuenta indicantur, scilicet VII 175, ubi significatur eius liber *περὶ ἄπνου* inscriptus. Heraclidae igitur nomen indici insertum si huc spectat, falsum locum obtinet, quandoquidem ante Democritum ponendum erat. Sed e sede nominis potius conligendum esse existimo Plinium ab Heraclida heuremata quaedam mutuatum esse. Ponticum autem *π. εὑρ.* duobus libris egisse La. Diogenes V 6, 4 (88) testatur, fragmenta uero huius operis desunt. Sed exstant quaedam in narratione Plinii, quae ad aliud Heraclidae opus relegari possint. Conlato enim Plutarcho de mus. 3 animaduertimus congruere cum eis, quae ille in *Συναγωγῇ τῶν ἐν μουσικῇ* tradiderat, haec Plinii heuremata: VII 204 „cithara cecinit primus cum cantu Amphion" et „citharoedica carmina composuit Terpander primus". Atque cum eundem scriptorem in diuersis libris de eisdem rebus eandem sententiam protulisse consentaneum sit, Plinium inter alia ex opere Heraclidae *π. εὑρ.* scripto duo illa inuenta delibauisse non sine specie ueri sumere nobis uidemur. Tamen caue conicias totum de rebus musicis locum (VII 204) ex eodem hoc fonte esse deriuatum; Athenaeo enim XIV p. 624 sq. teste Heraclides de modulorum inuentoribus aliter iudicauit quam Plinius.

Tertius in indice heurematographus deprehenditur Philostephanus, cuius nomen in textu bis reperitur VII 207 et 208. Ambigitur ergo, utrum Philostephani nomen in auctorum recensu positum sola ad haec frustula, quibus adscriptum est, pertineat, an Plinius ei etiam plura debuerit. Sed cum ille inter auctores Graecos in toto hoc

capite commemoratos recentissimus sit, et cum nihil habeamus, cur Plinium eius sententias a Romano aliquo auctore comperisse suspicemur, Plinium huius π. εὑρ. opus ipsum inspexisse crediderim. Quod si recte constituerimus, Philostephani librum Plinio etiam in priore iam catalogi parte conscribenda usui fuisse coniciemus. Saepe enim Plinius eius potissimum auctoris, e quo plurima uel pleraque desumpsit, nomen inferiore demum aliquo loco narrationis laudauit.

Quae cum ita sint, Plinium ex Stratonis, Heraclidae, Philostephani π. ευρ. libris pleraque mutuatum esse arbitror. Ad eosdem fontes Hesiodi fragmentum VII 197 exhibitum relego (cf. supra p. 29 sqq.) neque scio an eodem reuocandi sint ambo loci, quibus Plinius „Aegyptiorum" sententiam profert: VII 194 et 196. Sed procul dubio eis, quae ex his libris transscripsit, ipse ex sua lectione nonnulla addidit. Cuius modi locos paucos iam supra p. 98 sq. et 101 sq. conlegi. Accedunt etiam ei loci, quibus Gellius annalium scriptor laudatur: VII 192. 194. 197. 198.

Haec fere habui, quae de Plini εὑρημάτων catalogi fontibus dicerem.

Caput octauum.

Indagare, quis quid primus inuenerit, animos hominum semper delectauit, ita ut in litteris omnium gentium et omnis aeui de inuentis et inuentoribus narrari soleat. Atque inter Graecos scriptores iam inde ab Hesiodo paene unusquisque εὑρήματα commemorauit (cf. supra p. 2 sqq.), deinde uero, cum de gentium uita et de singularum litterarum origine et historia accurata ratione inquiri coep-

tum esset, uel peculiare, quo *περὶ εὑρημάτων* disputaretur, litterarum genus maxime a peripateticis excultum est. Cuius generis usque ad extremam antiquitatem uestigia persecutus sum. Sed medium quoque per aeuum illud studium non plane emortuum esse inde [1]) uides, quod inter excerpta miscellanea, quae in codicibus chartae explendae causa addebantur, non raro *εὑρετῶν* indices reperiuntur, in quibus etiam recentium temporum inuenta ueteris doctrinae reliquiis immixta sunt. Secuntur opera heurematographica saeculi XVI et nostrae aetatis, quae supra p. 13 adn. 1 breuiter significaui.

Iamuero appendicis loco catalogos nonnullos componam [2]), quos Byzantinorum industriae debemus, ut munus, quod supra p. 2 subeundum indicaui, saltem incohem.

---

1) Eodem spectat, quod *Peplo,* qui nomine Theophrasti inscripto temporibus Byzantinorum ferebatur, praeter alias fortasse res heuremata quoque congesta erant; nam in fragmentis duobus, quae adhuc sola innotuerunt, de inuentis sermo est: fr. 1 (ed. Usener *Mus. Rhen.* XXV 1870 p. 605 sqq.) Corax Syracusanus rhetorices inuentor perhibetur; fr. 2 (ed. Miller *Notices et extraits des man. de la bibl. nation.* XXIX 2. 1880 p. 181, cf. Heylbutium *Mus. Rhen.* XXXIX 1884 p. 158) de litterarum inuentoribus pauca narrantur, quae plane congruunt cum schol. anon. Gregor. Naz. ed. Mign. uol. II p. 1236 c.

2) Lobeckius *Aglaoph.* p. 168 n. in locorum heurematicorum recensu nominat etiam Grammaticum in Bibl. Coislin. p. 597. Montefalconius enim excerptis quibusdam in *Bibl. Coislin.* p. 596 sq. editis inscripsit „de artium et disciplinarum inuentoribus". Tamen heuremata non reperiuntur nisi haec tria initio posita: „*Ἐξεῦρον τὴν μὲν ἀριθμητικὴν Φοίνικες, τὴν δὲ μουσικὴν Θρᾷκες, τὴν δὲ ἀστρολογίαν Χαλδαῖοι*" (plena narratio, ex qua haec deprompta sunt, legitur Crameri *An. Par.* IV p. 421), deinde secuntur canones, qui dicuntur, poetarum, oratorum, historicorum, grammaticorum, medicorum, philosophorum, denique nomina duodecim deorum.

§ 1.

Initium faciamus ab eis catalogis, qui in *Chronici* cuiusdam Byzantini narrationem inserti ad nostram aetatem permanserunt. Similiter enim atque Christiani, de quibus supra egi, saeculo nono Georgius Monachus s. Hamartolus ad historiam inuentorum confugit, unde sententiis quas posuit argumenta compararet. Et primum quidem in diatriba, qua multorum et falsorum deorum cultum impium absurdumque confutare studet, haec heuremata profert:

Chron. II 4, 15 ed. Muralt. p. 44 sq.

I p. 44, 11—15. 1 *Ἐκ μὲν γὰρ Διὸς τὴν παιδοφθορίαν καὶ* 2 *τὴν μοιχείαν*, 3 *ἐκ δὲ Ἀφροδίτης τὴν πορνείαν· καὶ* 4 *ἐκ μὲν Ῥέας τὴν ἀσέλγειαν*, 5 *ἐκ δὲ Ἄρεως τοὺς φόνους*, 6 *ἐκ Διονύσου τὴν οἰνοφλυγίαν καὶ ἐξ ἄλλων ἄλλα τοιαῦτά φασι τὴν ἀρχὴν εἰληφέναι.*

II p. 44, 21—27. *Ἀλλά φασιν οἱ τῇ πλάνῃ δεδουλωμένοι· „Διὰ τοῦτο θεοὺς αὐτοὺς ἡγούμεθα, ὅτι τοῖς ἀνθρώποις χρήσιμοι γεγόνασι.* 7 *Ζεὺς μὲν γὰρ λέγεται πλαστικὴν τέχνην ἐξευρηκέναι*, 8 *Ποσειδῶν δὲ κυβερνητικήν*, 9 *Ἥφαιστος μὲν τὴν χαλκευτικήν*, 10 *Ἀσκληπιὸς δὲ τὴν ἰατρικὴν καὶ* 11 *Ἀπόλλων τὴν μουσικήν· καὶ* 12 *Ἀθηνᾶ μὲν τὴν ὑφαντικήν*, 13 *Ἄρτεμις δὲ τὴν κυνηγετικήν· καὶ* 14 *Ἥρα μὲν στολισμόν*, 15 *Δημήτηρ δὲ γεωργίαν καὶ ἄλλοι ἄλλας.“*

III p. 44, 27—p. 45, 9. *Οὐκοῦν εἰ διὰ τὰς τῶν τεχνῶν εὑρέσεις θεοὺς αὐτοὺς ἄξιον ἀναγορεύεσθαι, δέον καὶ τοὺς τῶν ἄλλων τεχνῶν εὑρετὰς οὕτως ὀνομάζεσθαι;* 16 *γράμματα μὲν γὰρ Φοίνικες εὗρον*, 17 *ποίησιν δὲ ἡρωικὴν Ὅμηρος, καὶ* 18 *διαλεκτικὴν μὲν Ζήνων ὁ Ἐλεάτης*, 19 *ῥητορικὴν δὲ Κόραξ ὁ Συρακούσιος· καὶ* 20 *μελισσῶν μὲν καρπὸν ὁ Ἀρισταῖος* [1]), 21 *σίτου δὲ σπόρον καὶ κριθῆς*

1) Ita emendaui pro *Ἀριστοτέλης*, cf. Diod. IV 81, 2; Plin. n. h. VII 199; al.; etiam alia quaedam minutiora correxi.

Τριπτόλεμος· καὶ 22 νόμους μὲν Λυκοῦργος ὁ Σπαρτιάτης καὶ Σόλων ὁ Ἀθηναῖος, 23 τῶν δὲ γραμμάτων τὴν σύνταξιν καὶ 24 ἀριθμοὺς καὶ 25 μέτρα καὶ 26 σταθμία Παλαμήδης ἐφεῦρεν καὶ ἄλλοι ἄλλα καὶ διάφορα τῷ βίῳ τῶν ἀνθρώπων ἐπήγγειλαν χρήσιμα κατὰ τὴν τῶν ἱστορησάντων μαρτυρίαν.

Caput primum et alterum Euhemeristarum rationem manifesto prae se ferunt et § 3 etiam ipsius cum Euhemeri fr. 32 conspirat (cf. supra p. 5). Primum autem caput Christiano alicui Graecae superstitionis insectatori rectius tribuerit aliquis quam heurematographis Alexandrinis. Alterum aeque ac tertium necessario Graecorum *π. εὑρ.* libris uindicanda esse uidentur, nam maior pars horum inuentorum legitur in catalogis supra tractatis; quibus accedunt nonnulla heuremata noua atque in uetustiorum libris inaudita. Valde igitur dolendum est, quod cui haec deberet auctorem non nominauerit Georgius.

Deinde in confusissimum *περὶ μαγείας καὶ γοητείας* sermonem (Chron. II 6, 8—11) compluria heuremata e duobus fontibus consarcinata intexuit. Auctoris enim nomine adnotato descripsit

IV p. 52, 20—25 Theodoreti catalogi §§ 1. 3. 4 et

VI p. 53, 24—27 eiusdem §§ 7 et 8 (cf. supra p. 60).

His autem ambabus partibus interposuit

V p. 52, 25—p. 53, 24 quattuor inuenta uaria una cum disputatiunculae, quae erat de magia, excerpto; quod totum caput mutuatus est ex scholiis in Gregor. Naz. catalogum scriptis, de quibus supra p. 44 adn. 2 breuiter iudicaui. —

Ex hoc *εὑρημάτων* thesauro in compluribus codicibus excerpta exarata sunt. Totus praeter caput I (§§ 1—6) legitur in epitoma *Chronici*, quam publicauit Cramer in *Anecd. Oxon.* uol. IV: p. 239, 24—p. 241, 17. — Capita II. III. IV et capitis V *εὑρ.* extremum (= Georg. p. 53, 1) e tribus

codicibus Parisinis exprimenda curauit Cotelerius (*Patrum qui temporibus apost. floruerunt op.* Antuerp. 1698 uol. I p. 545) ad Clement. Recogn. V 20; cuius catalogi ad calcem praeterea exstat heurema: „*Τυρσηνοὶ τειχίζειν πόλεις*“, quod idem reperitur apud Schol. Pind. Ol. II 127. — Caput III e codice quodam Parisino in lucem protulit Boissonadeus in *Anecd. Gr.* uol. I: p. 426, ita tamen, ut ordo mutatus exhibeatur et omittantur §§ 16. 17. 25. —

§ 2.

Adiungantur cetera, quae quidem repppererim, fragmenta hic illic dispersa.

Cramer *Anecd. Ox.* uol. IV p. 400, 3—20 publici iuris fecit hunc catalogum:

1 *Νουμᾶς* [1]) *ὁ βασιλεὺς Ῥώμης πρῶτος τῇ ἰδίᾳ εἰκόνι ἐχάραξεν, ἃ καὶ νουμμία ἐκλήθησαν.* 2 *Ἐπὶ τῆς βασιλείας Κυροπαλάτου καὶ Εἰρήνης εὑρέθησαν γράμματα κεκολαμμένα. χὲ μέ* [2]). 3 *Πολιτείαν εἰσῆξε Ῥαδάμανθυς Κρής·* 4 *ἐκκλησίαν Ἀρκάδες·* 5 *σύνοδον Ἑλλήνων καὶ* 6 *δίκας Ἀμφικτύων·* 7 *μελισσῶν καρπὸν Ἀρισταῖος·* 8 *δικαστήριον ἐν Ἀρείῳ πάγῳ πρῶτον ἐγένετο καὶ ἐκρίθη Ἄρης ὑπὸ Ποσειδῶνος τὸν υἱὸν αὐτοῦ Ἁλιρρόθιον ἀποκτείνας.* § 9 nonnulla de inuentoribus litterarum referuntur, quibus nihil noui inest (cf. supra p. 26 et 81); §§ 10—20 de musica agitur, quod caput iam supra p. 39 transscripsi.

§ 3.

Apud eundem p. 255, 18—26 haec leguntur: *Τίνες ἐφεῦρον ἀρχαῖοι τὰς τέχνας· φιλοσοφίαν, ἀριθμητικήν, μουσικήν, ἀστρονομίαν.* 1 *Εὐκλείδης γεωμετρίαν·* 2 *Ἀπελλῆς* [3]) *βοτανικήν·* 3 *Δημοσθένης ῥητορικήν·* 4 *Παπινια-*

---

1) Correxi compluria.

2) Has Byzantinorum ineptias expedire non possum.

3) Nomina et hominum et rerum multifarie corrupta correxi, ut potui.

νὸς[1]) *νομοθεσίαν·* 5 *Ἀντίνοος λογχοποιίαν·* 6 *Εὔρυτος*[2]) *τοξοσύνην·* 7 *Εὐρύδαμος Μεσσήνιος θώρακα πολεμικόν·* 8 *Εὔανδρος κνημῖδα καὶ* 9 *ἀσπίδα·* 10 *Ὀππιανὸς ἁλιευτικήν·* 11 *Τριπτόλεμος σποράν τοῦ σίτου·* 12 *Πάμφιλος ζωγραφικήν·*[3]) 13 *Τῖφυς ναυτικήν.* 14 *Ἄργος ναυπηγίαν·* 15 *Ἀρχιμήδης μηχανικήν.*

Eundem catalogum mira rerum dissimillimarum confusione notabilem *Violeto* intexuit Arsenius p. 90 Walz., cf. Leutschium *Paroem. Gr.* II p. 301. Eundem ex aliis codicibus descripserunt Cramer l. l. p. 255, 27—p. 256, 2; Cotelerius l. l.; Lambecius *Comment. de bibl. Caes. Vindob. lib.* VII ed. Kollar. 1781 p. 197[d]; Titzeus *Man. Moschop. op. gram.* p. 59.

§ 4.

Apud Titzeum l. l. etiam haec exhibentur. *Τὰ ὀνόματα τῶν ἐννέα Μουσῶν, καὶ ποίας τέχνης ἑκάστη ἐπιστατεῖ, καὶ τίς ὁ ταύτης ἐν βίῳ ἐφευρετής.* 1 *Κλειὼ ἱστορίας, Ἡρόδοτος.* 2 *Θάλεια κωμῳδίας, Μένανδρος.* 3 *Μελπομένη τραγῳδίας, Εὐριπίδης.* 4 *Εὐτέρπη αὐλῶν, Στησίχορος.* 5 *Τερψιχόρη λύρας, Πίνδαρος.* 6 *Ἐρατὼ κυμβάλων, Ἑρμῆς.* 7 *Καλλιόπη ποιήσεως, Ὅμηρος.* 8 *Οὐρανία ἀστρονομίας, Ἄρατος.* 9 *Πολύμνια γεωμετρίας, Εὐκλείδης.*

Eadem apud Arsen. p. 325 W., cf. Leutschium *Paroem. Gr.* II p. 494; eadem e cod. quibusdam Parisino et Vindobonensi protraxit Studemundius *Ann. inst. arch. Germ.* V 1890 p. 2 sq.

---

1) Libri: *Παπιανός*; correxit Titzeus l. infra l.

2) Libri: *Εὔρυνος* et *Εὐρύνοος*; correxi cl. Hom. *θ* 224 sq. et Apollod. bibl. II 4, 9. De ratione *εὑρήματος* uideas quae disserui supra p. 38.

3) Cf. Aristoph. Plut. 385 cum schol.; Plin. n. h. XXXV 75 sq. 123; Quintil. inst. XII 10, 6; Plut. Arat. 12; Suid. s. *Ἀπελλῆς*. Liber unus: *ὀρθογραφικήν*.

Addenda et corrigenda.

Ad p. 27 *adn.* 1. Pro grammatico anonymo adferre debui Georgium Monachum: cf. p. 109.

Ad p. 32. Loci quos ad § 18 illustrandam adhibui ad armaturam gladiatorum spectant, qui Thraeces appellabantur; addas Iuuen. VIII 201 cum schol.; etiam ipsius gentis Thracum istud gladii genus proprium fuisse intellegitur ex Val. Max. III 2, 12. Cf. Friedlaenderum *Sitteng. Roms* II 1881 p. 484 sq.

Ad p. 53. Nuperrime Immischius *Ann. phil.* 141 (1890) p. 695 sq. demonstrauit primi 'grammatici ueram nominis formam esse *'Αντίδωρος* et coniecit Clementem corruptam formam *'Αντόδωρος*, quam in fonte legisset, ipsum correxisse in *'Απολλόδωρος*. Quibus ea, quae ipse p. 55 sqq. de alphabetico quodam ordine suspicatus sum, non infringuntur, nam *'Αντόδωρος* pariter atque *'Απολλόδωρος* rationi elementorum obtemperat.

Ad p. 84 *adn.* 2. Non abs re esse uidetur minores heurematum catalogos, quos hic illic uel indicaui uel exscripsi, sub uno aspectu componere. Leguntur his locis: Athenag. suppl. 17 (cf. supra p. 7), Athen. I p. 27 sq. (cf. p. 3), Themist. XXVI p. 381 sq. (cf. p. 14), Mart. Cap. II 158 (cf. p. 84), Schol. Pind. Pyth. V 6 (cf. p. 7), Seru. Verg. Aen. IX 503 (cf. p. 7). Addam ceteros, quos quidem repppererim, locos: Ael. uar. hist. III 38, ubi Atheniensium heuremata septem congesta exhibentur, et Nonn. Dion. XLI 368—384, ubi decem deorum heroum hominum inuenta enarrantur, quem quidem catalogum quod serius indagaui doleo, quia eum heurematicorum reliquiis adiungendum esse censeo.

Index εὑρετῶν
qui in hoc libello commemorantur.

Tabula argumenti.

Scriptoris uita.

Iulius Andreas Martinus Kremmer in uico Poreiar prope Tranquebar Indorum oppidum sito natus sum a. h. s. LXIV patre Carolo Friderico, qui ad diem supremum Tamulibus ad Christi amorem conciliandis operam nauauit, matre Charlotta e gente Raven, quam adhuc superstitem gaudeo. Fidem profiteor euangelicam. Puerum septem annorum, ut et pestilentem aerem illius regionis uiolento sole tostae effugerem et optima doctrina fruerer, parentes me e sua tutela in patriam miserunt. In gymnasiis Gottingensi et Osnabrugensi litteris imbutus et maturitatis testimonio instructus auctumno anni LXXXIII Lipsiam me contuli, ut in numerum ciuium academicorum adscitus stipendia mererem. Militis officio absoluto almam matrem Gottingensem adii, ut philologicis studiis me dederem; audiui per annum uiros doctissimos Baumann, Bechtel, Heyne, Kielhorn, Sauppe, Schmarsow, de Wilamowitz et sodalis fui proseminarii philologici Wilamowitzio praeside. Deinde Berolini per sex menses scholas frequentaui uirorum clarissimorum Curtius, Kirchhoff, Maass, Weiss. Vere anni LXXXVI Lipsiam reuersum docuerunt me uiri illustrissimi Hanssen, Rudolfus Hofmann, Lipsius, Luthardt, Ribbeck, Richter, Rohde, Wachsmuth, Wundt, Fridericus Zarncke. Proseminarii philologorum fui sodalis, seminarii primum socius extraordinarius, deinde per tria semestria ordinarius; exercitationibus philologicis ut interessem, benigne concesserunt Lipsius, Ribbeck, Wachsmuth; paedagogico autem seminario Richteri quartum hunc annum adscriptus sum sodalis. Quibus uiris cum omnibus tum Curtio Wachsmuth, qui in primis fautor studiorum meorum exstitit, gratias semper habebo quam maximas.

Frommann'sche Buchdruckerei (Hermann Pohle) in Jena.